Lit 86 2º

Nº 14

VITÆ HVMANÆ PROSCENIVM:

IN QVO SVB PERSONA GVSMANI ALFARACII *virtutes & vitia; fraudes, cautiones; simplicitas, nequitia; diuitiæ, mendicitas; bona, mala; omnia denique quæ hominibus cuiuscunque ætatis aut ordinis euenire solent aut possunt, graphice & ad viuum repræsentantur.*

OMNI AETATIS ET CONDITIONIS hominum tam instructioni quam delectationi dicata.

CASPARE ENS *editore.*

COLONIÆ AGRIPPINÆ.

Excudebat Petrus à Brachel.

ANNO M. DC. XXIII.

VIRTVTE, ERVDITIONE, VARIAQVE EXPERIENTIA PRAESTANTISSIMO Viro,

D. PETRO FEIST,

Fautori & amico meo singulari.

EX quo FEISTI ORNATISSIME, Amicitia tua me dignatus es, omnibus modis satagendum mihi putaui, vt quanti

illa apud me esset, non leui aliquo indicio, nec aliquibus tantum, sed notis pariter atque ignotis testatum facerem. Cōmodissimū mihi visum, Libellum hunc allegare, qui singularis mei in te affectus atque obseruantiæ, & in præsēs sponsor & in futurum obses esset. Scis me ab iis rebus quibus alij sibi beati videntur, parum instructum esse, sed nec vmquam earum valde appetentem fuisse. Eo amicis ego nihil aliud quam Candorē, Fidem,

Fidem & virtutis aliquẽ inme conatum, in illis cultum pręstare possum: quæ vt omnibus pollice• or, ita non metuo ne vanus deprehendar. Vna mihi superest ratio non quidem de amicis bene merendi, mei tamen erga eos animi testificandi, & virtutes eorum colendi; hæc nempe, quæ non e• xiguo aliquo temporis spatio contineatur, sed ad omnem posteritatem, si qua futura est, porri• gatur. Scio expertus, à multis vltra caducæ hu•

ius vitæ terminos nihil prospicientibus, & nihil nisi præsentes cõmoditates & quæ ad luxum pertinent amantibus, totũ hoc beneficiorum genus non tantum non imputari, sed etiam despicatui haberi; at plorare ego illos & Morboniam facessere iubeo, vt qui ignorent quid distent æra lupinis; sed & digni non sint quorum nomẽ à posteris legatur. Tu, mi FEISTI, scio, aliter iudicabis, & hunc conatum meum bonam in partem

ita accipies, vt quam hactenus mihi tecum esse Amicitiam passus es, eam porro tecum esse patiare. Ea es virtute, ea doctrina atque experientia, vt censuræ munus vltro Tibi offeram: quod spero Te ita vsurpaturum, vt si vtile dulci miscere conanti non omne punctum tribuas, non omne tamen quoque abiudices. Erit forte, si vitam Deus prorogarit, vt præclarius virtuti Tuæ monumentum statuere posſim. Interim

hoc fruere, erecto ab eo qui est, eritque semper

Tui obseruantissimus

Gaspar Ens.

Ad

Ad Lectorem.

MVltarum ac variarum rerum similis Vita humana dicitur: quarum rerum innumeræ pæne seu similitudines seu Comparationes & in libris paßim leguntur, & multæ insuper excogitari adhuc poßūt. Mihi tamē vix vlla magis arridet, quàm ea quæ Fabulæ seu Mimo comparatur. In quo mecum sentit Latinus sapiens, qui alibi ait, Omnia hominum negocia similia Mimis *esse. Augustus quoque Cæsar, vt Suetonius refert, paullo ante obitum amicos percunctatus est,*

Ecquid eis videretur Mimũ vitæ commode transegisse. *Et ipse Cato apud Ciceronem Senes monet, dent operam ne tamquam inepti histriones extremo in actu concidāt,&explodantur. Hoc eò tantum pertinet, vt intelligas, Lector, cur Libello huic titulum* Vitæ humanæ Proscenium *fecerim, nimirum quod vt* Fabulæ *in theatro repræsentatæ, ita* Vitæ *quoque diuersi sint Actus, variæ vicissitudines, Euentus inopinati. Cætera quæ infinita fere, non addo, quod facile cuiuis eā colligere.*

Restat vt illorum amoueam calumnias, qui nihil nisi Virtutis nomen aures Iuuentutis circumsonare, Vitiorum ne audiri quidem volunt. Inepti profectò Censo-

Censores! Quomodo enim Virtutem & Vitium quis internoscat, qui vtrumuis non nôrit? Quomodo bonum sectabitur quis nisi malum fugiat? At quomodo fugiet rem ignotam? Vtrumque ergo noscendum, Bonum, & Malum: sed diuerso finè. hoc, vt fugias; illud, vt sectere. Morum grauitate omnibus gentibus superiores Lacedæmonij, numquid ebrios helotas seu seruos in liberorum conspectum produxerunt, vt perspectam ebrietatis turpitudinem tanto magis detestarentur, & vitarent? Scio eam esse humanij ingenij imbecillitatē, vt proniore appetitu ad Malum quam ad Bonum feratur qui tamen error inde vtplurimum nascitur, quod iuuenes præsertim

tim opinione decepti, bonum existimant quod malum est, & malum quod bonum. Hunc melius certe multo agnoscent & emendabunt, si aliorum inspiciāt exempla: & quid huic vel illi euenerit considerent. Efficacius docēt exempla quā præcepta. Et vnde illa insipientum, omnibus tamen fere vsitata excusatio, Non putâram? *nisi quod fraudem aliorumque in vita humana euentum ignari, nos ipsos falsis imaginationibus decipimus?*

Quemadmodum ergo Tela præuisa minus feriunt, *ita minus quoque mirum accidet quidquid in vita euenerit illi qui iamdudum omnia præcepit, atque animo secum peregit. quod facere nemo potest, nisi qui vel à seipso, vel ab aliis experientiam habeat.*

habeat. At quanto melius est alterius exemplo quam suo malo sapientē fieri! Hic finis vnus-vnicus huic libello: cuius materiam mihi suppeditauit Matthæi Alemanni *Regij quondā Secretarij & grauissimi viri de Gusmano Alfaracio Hispanica lingua cōscripta Historia, vicies quater edita: ita tamen vt non tam Interpretis quam Autoris personam egerim. Tu his iam fruere: & tam facetiora quam vtiliora futuris nundinis, si Deus vitam dederit ociumque fecerit, exspecta.*

INDEX CAPITVM.

XVI. Ge-

PROSCENIVM

VITAE HVMANAE,

IN QVO

In quo ſub Guſmani Alfaracij perſona admirabiles Fortunæ caſus; virtutes, vitia; bona, mala, &c. tamquam in ſpeculo proponuntur.

CONSILIVM mihi eſt meamipſius vitã deſcribere. Sed vide, quæſo, curioſe Lector, quò me non honoris, non lucri, ſed tuæ vtilitatis ſtudium abducat! qui vt meo exemplo & meliorem & prudentiorem te faciam, tamquam ſorex meo meipſum indicio prodere, vel potius tamquam ſimia ex alto

B puden-

pudenda mea omnibus conspicienda dare non dubito. Hinc multi, hyænarum more, sepulcra me effodere & mortuorum cadauera dilacerare, vel, vt quidam ait, patrios cineres commeiere dicent, eoque non stultitiæ aut dementiæ, sed impietatis dicam mihi impingent. Quid tu, inquient, an sic pietatem colis, qui parentum, qui tuorum ipsius natalium vitia in manifestum profers? Siccine diuinam obseruas legem, quæ non modo parentes colere, sed & proximi cuiusque turpitudini velum iniicere iubet? Quanto tu peior, quanto sceleratior reliquis calumniatoribus, qui plerumque alienis vitiis sua obtegunt? at tu saliuam quasi in cœlum exspuis, quæ in te sit recasura. Equidem cum Lentulo furam præbeo; spero tamen æquum Lectorem, vbi meas rationes cognouerit, haud grauate veniam mihi daturum. Pri-

mum enim historiam vitæ meæ describturo nefas videbatur historiæ leges migrare, quæ volunt vt non minus parentes & stemmata magnorum virorum quam res gestæ consignentur. Et tutius quoque mihi tam ad fidem quam ad famam videbatur, puram putam veritatem scribere, quam è nescio quibus vetustis lacunis (quod hodiè multi per summam vanitatem faciunt) stirpem deriuare; aut natalium turpitudinem seu vilitatem longe petitis fabulis aliisque mille inuolucris, frustra celare velle. Est enim tota parentum meorum vita, lippis etiam & tonsoribus hodiè tam nota, vt si quæ vera sunt negare velim, impudens ab omnibus merito haberi debeam; si vero falsa pro veris adfingere, nouam eamq; amplissimam calumniaturiêtibus materiam sim præbiturus. Quam multorum enim natales cum magna ipso- *Excusatio.* *Notate gloriosuli.*

ipsorum laude nescirentur, si iactatione sua aliis amquirendi occasionem non dedissent! Numquid ergo melius facere videor, si textum ita vti est, simplicem atq; apertum proferam, sicque aliis glossas affingendi libidinem eripiam & facultatem? Sunt eo ingenio pleriq; homines, vt in simpulo, quod dicitur, fluctus excitent, & ex Musca Elephantem faciant; alta deprimant, depressa eleuent; præsumptionem pro euidentia, audita pro visis, opinionem pro scientia ponant; non tam rebus denique quam rerum vmbris & adscititio fuco & alios capitent, & ipsi capiantur. Mihi vero eques ille placet, de quo iam dicam. Is Mantuæ Carpetanorum (*Madritum* vocant) quum esset extraneo in solo, & equis, quos admodum pulcros ac generosos Hispania producit, impense delectaretur, neque verò, lege prohi-

bitus,

bitus, quum discedere vellet, viuos in patriam secum abducere posset; vt eiusdem voluptatis quam ex aspectu capiebat, domi amicos participes faceret, à duobus præstantissimis pictoribus petiit, vt quisque vnius ex generosissimis depingendi negocium sumeret, præter mercedem ei cuius opus esset probatissimum, premio promisso. Eorum vnus in tabula equum ita ad viuum expressit, vt ei nihil quam anima deesse videretur. Alter equum & ipse quidem depinxit; sed quum artem suam à natura paullum aberrasse animaduerteret, ipsi equo frænum addidit, sellam, phaleras, tum circumcirca, suo quidq; loco, nubes, arbores, prata variis floribus vernātia, rudera, ædificia, fluuios, & quidquid ars pictorum imitari gaudet, adpinxit, suis quidq colorribus quam scitissime illustrans, vt aspectu vix quidquā esse posset

Notate Parergista.

iucundius. Accedunt vterque & opera sua offerunt. Primus equũ nudum, sed ita factum, vt spirare videretur, quo delectatus Eques, & mercedem postulatam statim soluit, & donum non exiguum addit. Profert suam tabulam alter quoque, & liberalitatem Equitis erga primum admiratus, immensum precium poscit. Obstupescēs ille, Non te pudet, inquit, tanti opus tuum indicare, quum negare ipse non possis à perfectione eius quod primus fecit, plurimum abesse? Tum pictor, Ad equũ quod attinet, fateor palmam mihi ab illo præreptam; sed ornamenta illa vide vndique circumpicta, quæ plure sumtu & labore mihi constiterunt quam ipse equus. Quid tu, inquit Eques, an tibi ego mandaui vt ædificia mihi, prata, arbores, & eiusmodi res depingeres, quæ in patria mea non minus pulcræ sunt ab ipsa Natura factæ, quam

quam vllibi terrarum. Equum pingere iussi; equum pingere te oportebat. Proinde ita vti conuenerat, pro equi pictura tibi satisfaciam. Cætera quæ addidisti parerga & emblemata, tu ipse tibi serua. mihi enim iis non opus. Quid faceret tanquam coruus hians delusus pictor? Iure agere non poterat; & in Equitis, qui iam voti sui compos erat, liberalitate parum spei sibi relictum videbat. Suum ergo opus sibi habuit: sicq; discessit. O quam multi sunt pictoris huius similes, quibus rem quamcumque ita vti est narrare velut religio est! Addunt, detrahunt; augent, extenuant; laudant, vituperant; nihil ex vero, ex lubidine & affectu omnia iudicant & loquuntur. Nullum textum audias; glossas meras. Deformis, formosus; ignauus, fortis; stultus, sapiens non videtur, sed est: illis quidem. & vicissim. Ex tribus trigin- *Peruersa iudicia.*

ta, è triginta trecenta, è trecentis tria millia faciunt (& procliue hoc est, vna o. addita) & quod pessimum est, linguis suis venenatis bonam aliorum famam & existimationem inficiunt, non tam veris quam ex vero aliquid trahentibus, immo affictis sæpe criminibus. Quid ego non ab his, quid parentes mei molestissimarum iniuriarum (ita enim videbantur) nō accepimus? Vtvt vero res se habeat, certe parentes meos negare non possum nec debeo. Sua illis virtus honori ac præmio, malitia fraudi erit. De me quidem illud dicetur: O quam non degenerat Gusmanulus noster, quam parentum suorum est similis! Interim velim lynceos illos aliorum cēsores id manticæ inspicere quod à tergo est. Credo equidē vbi suorum pedum turpitudinem viderint, mox pictam illam explicatarum pennarum rotam contractu-

ros ac demissuros. Rides meos parentes ac maiores. at ego plorare tuos iubeo: quos tu ipse, quales fuerint, ignoras. Caue sis, nimium iactes genus tuum: cuius à primordiis repetiti auctor aut veteramentarius, aut parasitus, aut scriba iniqui Mammonis, aut mercator vsurarius forte fuit. Sed ad rem.

Patri meo, patria fuit pars illa Mundi Orientalis (vides & hic amplitudinem & magnificentiam) vbi Carthago olim sita fuit. vnde quum Genuam negociandi caussa venisset, pecunia, quam copiosam possidebat, adiuuante, non multo post inter Nobiles seu Patricios fuit habitus. Quæris, quam negociationem exercuerit, quæ mercimonia tractarit? Quid me pudeat dicere quod primarios ætate nostra viros video facere? Collybista fuit, seu Cambiarius. Scio vsurarum nomine male audiisse. Sed *Pecunia nobilitat.*

vere hæc & alia malè audiebat, & plus quam Spartana nobilitate concoquens, impune aures prætervolare patiebatur. Neque tamen ego vel vſurarios ſanguiſugas vel vſuras laudauerim, illas præſertim quas palliatas, aut quas ſiccas vocant: de quo vniuerſo hominum genere dici poteſt, *vocem Iacobi, manus Eſaui* habere. Sentiat hic quiſque quod volet; ego cenſendi ius ſine populi ſuffragio mihi non ſumam. Hoc tantum dico, ſi qua nota hinc illuſtri meo generi inuratur, eam mihi cum multis ſummis & medioxumis communem eſſe. infimos non addo, quos pleroſque inſontes huius criminis præſtat inopia.

Notate hypocrita. Aiunt nonnulli, aut, quod malo credere, calumniantur, patrem meum hypocritam fuiſſe. Sed ô peruerſa iudicia! Equidem ſi Sacerdotem aut Monachũ videam, intempeſta nocte, gladio accinctum,

ctum, per scalas in loca ædilem metuentia enitentem, ac per fenestras irrepentem, stulto stultior sim si audiendarum Confessionum aut administrandorum Sacramentorum gratia eò venisse illum credere velim: at si quis sacra sine vlla intermissione frequentet, ab vno templo ad aliud currat, coram omnibus in genua prouolutus, se ipsum assiduis precibus fatiget: inhumanum sane fuerit, & ab omni ratione alienum, eiusmodi hominem vt hypocritam insimulare ac traducere. Ad patrem meum quod attinet, solebat is assidue Rosarium secum circumferre, cuius sphærulæ auellanarum excedebant magnitudinem, quo à proauia ad se transmisso, mater mea illum donârat. quotidiè sacris intererat, genibus innixus, & ad cœlum manus expandens, propitiū rebus suis numen rogabat. Nec parcus erat in distribuendis

eleemoſynis, in quo pio operè tamen ita verſabatur, vt obſeruaret præceptum illud Euangelicum: *Luceat lux veſtra coram hominibus.* neque enim temerè quidquam erogabat, niſi teſtem haberet quaſi vniuerſam ciuitatem: locū, tempus obſeruans, quando, vbi maxima multitudo conuenire ſolebat. Quid autem mea refert, quod inde à nonnemine hypocriſeos inſimulatus eſt! Ego bonis omnibus & nullo præiudicio occupatis liberum iudicium relinquo. Nonnullam forte ſequius ſuſpicandi cauſſam dedit clādeſtinus eius diſceſſus: cuius tamen grauiſsimas cauſſas habuit. Quum enim societatem cum Hiſpalenſi quodam mercatore contraxiſſet, is vero (Biante illo multo prudentior qui *ſua* tantum ſecum aſportarat) cum creditorum ſuorum pecuniis profugiſſet: pater meus, qui inter illos erat, velis remiſque hominem

[...] cus qui foro cediſis:

nem persequi, & vel pessima quã nulla conditione depacisci cum illo decreuerat. Illius ergo itidem prudentiam imitatus, conuasatis quas poterat rebus, insalutatis quoque suis creditoribus, iter ingreditur, & Antecessorem docilis discipulus sequutus, in Italiam traiicere festinat. verum ecce medio in cursu nauis à piratis Tunetanis inuaditur, expugnatur, abducuntur captiui vectores, & in his pater meus. Quid faceret miser vnà cum fortunis omnibus, & quas habebat, & quas quærebat, amissa libertate? Fecit id quod prudentes solent, qui temporibus obsequuntur, & præsentibus diffisi, futuris prospiciunt. Fidem abnegauit. inde, quod proximum erat, ad paganam mulierem, opulentam admodum, sese applicuit, eamque, sed per modum prouisionis tantum, vxorem duxit. Ibi dum aliquot annos negocia sua

Fidem abnegatis.

prudéter tractat, certior fit, decoctorem illum prioris naufragij tabulas ita recollegisse, vt cum creditoribus qui comparerent, debiti semisse pacisci vellet. Quare nihi cunctandũ ratus (iam enim & facti pœnitentia, & vitæ inter barbaros tædium subierat) ad iter sese parat: quod quum vxorem celare non posset, ei persuadet, Constantinopolim certa spe lucri se nauigaturum, exigui temporis absentiã patiéter ferret, post paucos menses re bene gesta domum reuersurum. Impositis ergo in nauim multis mercibus, tum compilatis vsurariæ vxoris scriniis, Cõstantinopolim appellit, inde, magno auctus lucro, Venetias ac porro Genuam proficiscitur, amissa paullo post, ad instar feræ, omni ad prius stabulum redeundi voluntate. Quia vero publice non peccarat (eius enim quod alibi fecerat, omnes ignari erant) publi-

ea quoque pœnitentia sibi opus non esse credebat: culpam interim suam assiduis ad Deum lacrymis deplorabat ac deprecabatur. Nescio tamen quî postea factum sit, vt tam horribile secretum etiam in vulgus innotuerit ac fabula fuerit. Nihil scilicet tam occulto loco latet, quin tandem in lucem extrahatur. Et hæc vnica erat caussa cur nonnulli patris mei fidem sucillarent, illa, credo, vulgari regula decepti, quod *Qui semel malus*, *semper* (in eodem quidem genere) *præsumitur malus*: quę tamen vt & pleræque aliæ omnes, exceptione non caret. Longa est & benigna Dei manus, quæ etiam longissime deuios ad semitam reducit. quod de patre meo sperare pietas me iubet. Tu si sequius faxis, vide ne morbum tuum ipse prodas. Bonorum est, de omnibus bene sentire & loqui; cum omnibus benigne ac placide agere; alio-
rum

rum vitia, si non excusare, tegere tamen; neminem putare improbiorem esse quam ipsi sint.

Notate Banquerottarij. Esto, decoxerit meus parens, foro cesserit, non semel, sed bis, ter. Idne hodie nouum est & inusitatum? nihil vidi magis. Fecit aliis quod alij ipsi fecerant. Et vero non è chalybe facti sunt homines, vt frangi nō debeant aut possint. Etiā altissime parietibus infixi claui ferrei paullatim remittunt ac vacillāt. Strategemata hæc sunt Mercurialis militiæ: quæ qui melius intelligit, tanto opimiores asportabit manubias. Soli DEO & Confessario hæc commendanda sunt; ad quos solos & absolutio pertinet. Si delictum foret, flagitium, aut furtum, publicè castigaretur: quum paruæ peculiolæ aut vilium rerum furunculos virgis cædi, notis inuri, ad remos damnari, etiam infelici ligno suspendi vide-

videamus. Sed vt vel maxime in patrem videar iniurius, vel mea ipsius, quod dicitur, vineta cædam (quid enim mihi acciderit, postea audies) per me licet quisque de hoc toto genere sentiat quod volet, scaphā scaphā appellet, fraudem eiusmodi & malitiam nō vno supplicio expiandam, pestem hanc è Republica tollendam clamet; ego falcem in alienam messem mittere, aut inserto in laqueum collo (qui mos nescio apud quam gentem fuisse dicitur) legem ferre nolo, cuius non perrogatæ pœna quasi mea mors sit. Citius enim elephanto stipem extorseris quam æruscatoribus illis beneficium Cessionis: qui vt olim cum Hercule pagani, ita cum creditoribus transigunt: decimam eis partem dant, nouem sibi auferunt.

Sed grauius quiddam est, quod iidem maleuoli patri meo imputant. *Iudices.*

tant. Aiunt è vinculis caussam di-
xisse. Dixit. at absolutus est: non
quidem quod innocentiam suam
probasset, sed quod fauētes habe-
ret iudices. eos quidem quomodo
sibi fecerit obnoxios, nescio; hoc
scio, aliquot sestertiûm millia in
rationum libris ipsis data exstare,
eoque auctor ego sum δωροδόκοις
iudicibus (si qui tamen hodie sūt)
vt cum corruptoribus suis stipu-
lentur, ne data munera in ratio-
num tabulas referantur, & sic nō-
tis quasi ad perpetuam ipsorum i-
gnominiam consignentur. quod
nescio an obseruent etiam ij qui à
non suis Regibus, immò Regum
suorum hostibus, annuas accipi-
unt (de extraordinariis nihil di-
co) pensiones. Indicia exstabant,
fateor, quibus forte Minos ali-
quis aut Rhadamanthus reum
peractum pronunciasset. Sed, mi
homo, ob indicia nemo facile cō-
demnari debet, quamquam & hęc
patet

pater meus multis adductis rationibus confutabat, non indicia sed mendacia & meras calumnias esse pertendens. Vt præstigiatores videntibus etiam quidvis suffurantur; ita nonnulli eo sunt ingenio, vt vel in ipso crimine deprehensi, elabantur tamen, faciantque vt quod alij viderant non viderint, nec sibiipsis credant. Præcipua Leguleiorum & Notariorum virtus creditur, eò quamcumque caussam deducere, vt nec ab ipsis litigantibus tolli inde rursus; tum ita intricatam reddere, vt vix quidquam certi consuli, respôderi, aut iudicari possit. Assem para: & non fabulam, sed veram historiam audi, Mantuæ Carpetanorum coram supremæ Curiæ Iudicibus concionans Sacerdos valde probus & litteratus, quum omnes eorum quibus Iustitię administratio commissa est ordines percurrisset, & de singulis quæ visa erant per- *Notarij, Procuratores,*

dixiſſet, tandem quum ad Notarios ventum eſſet (quibus de induſtria vltimum locū reliquerat) in hanc ſententiam loquutus eſſe dicitur: Hic omnis meæ orationis impetus ſiſtitur & ſufflaminatur, hîc, tanquam profundo immerſus luto currus, omnis mihi fermè hæret. ac niſi angelus aliquis tanquam dexter Hercules manum admoliatur, vix cerno quomodo me expediam. Iam triginta & amplius anni ſunt, Auditores, ex quo multa his locis vidi, inprimis vero multas multorum peccatorum confeſsiones audiui, qui omnes quamuis aſsiduè in eadem quę deteſtati ante fuerant peccata reinciderint, tandem tamen, Deo miſerante & adiuuante, vitam emendarunt, & conſcientiæ melius quā antea conſuluerunt, omiſſa peccandi conſuetudine. Impuris a moribus legitimum medetur cōnubium, aut certe virium defe-

Concionem.

ctus

ctus. Profuſam ludendi lubidinem coercent damna aleatoria, & quæ inde ſequi ſolent, moleſtiæ animi & angores. Fures & metus & pudor ab alienis manus abſtinere cogit. Iracundos humanæ fragilitatis recordatio mites facit. Inuidos aliena mala placant & ſatiant. Superbis propriæ vilitatis conſcientia & quotidianæ calamitates criſtas deprimunt. Mendacem probra & contumeliæ in os acceptæ emendãt. Blaſphemi, Dei vindicis metu amicorum admonitionibus inculcato, linguæ moderari diſcunt. Omnes denique peccatores, velut ſerpentes, vitiorum leberidem ponunt, & vel maturè vel ſero reſipiſcunt. Et de horum quidem omnium ſalute eſt quod bene ſperemus. At in ſolis Notariis, Procuratoribus, & id genus hominibus omnis ratio ac ſumma ſummarum mihi ad nihilum redire videtur. Antiquum hi

ſem-

ſemper obtinent, ſemper ſui ſimiles. nec ſcio quomodo vel confitentes abſolui poſsint, (loquor de iis qui minus integre ac fideliter officio ſuo funguntur,) quum exigua pecunia corrupti, aut in amici vel amicæ gratiam (nam & hęc, & præcipuas quidem ſæpe, partes ſuas hic habet) ea ſcribāt, ea producant quæ aliorum fortunis, honori, atque etiam capiti periculum creent, & latiſsimam plurimis peccatis aperiant feneſtram. Inſatiabili peccant auaritia, tamquam canina fame rabidi, obuia quæque inuolant, atque ita cruda per ingluuiem demiſſa, infernali calore, quo ipſorum ardet anima, facile concoquunt. Hinc fit, vt illi ipſi numi quos iniuſte capiunt ac deglutiunt, ſtatim in carnem & ſanguinem conuertantur, nec ſi vel maxime velint, eos deinde excernere queant. Quapropter exiſtimo, ſi quis horum forte in cœlum

lum ingrediatur (neque enim omnes tales forte sunt quales illi de quibus loquor,) statim Angelos omnes velut ad inusitatum spectaculum concurrere, & vna voce concinere: *Laetamini in Domino. Notarius in coelo. Fructus nouus! Fructus nouus!* Hæc quum dixisset, verbũ non amplius addidit. Sed ipse viderit. Mihi vobiscum nihil rei est; quibus si locus vitilitigandi detur, non magis quam lusciniæ cantionẽ, verba ad excusandum, Replicas, Duplicas, Triplicas, Quadruplicas, atque etiam, credo, Cẽtuplicas non defuturas. Veruntamen illud cogitate, aliud ibi fore tribunal, alium iudicem, aliam caussæ dictionem; tum sententiam sine iure prouocationis. Ego ad semitam redeo, vbi prius illud addidero, patre meo in strophis illis ac tricis iudiciariis nihil fuisse versutius. quum vero in his quoque contra manifesta pæne indicia *Noli me tangere.*

ac

ac probationes parum esset præsidij, in quæstionem datus, vt fortem virum decuit, tormenta omnia constantissime pertulit, indignum ratus, totum corpus vnius membri, nempe linguæ, temeritatem ac noxam luere. simul eadē constantia ipsos testes quasi falsi conuictos in ruborem dedit.

Praeuertenda dicteria.

Vatinium aiunt quum crurum nescio quo vitio laboraret, in seipsum iocari solitum, vt Ciceronis sibi infensi dicacitatem effugeret. Ita ego quoque, ne quid materiæ calumniatoribus relinquam, etiā minima quæ patri meo exprobrata fuerunt, non silebo. Dicere nōnullos memini, solitum illum vnguenta olere, tum calamistris crines inurere & cincinnare, faciem fuco ac cerussa pingere, multaque alia facere quibus mollities denotatur. Quæ si fecit, non sane probārim. mihi quidē nihil certi cōstat. Vidi eum puer, crispatis capillis

pillis, à natura, puto, factis; facie, alba illa quidem, sed rubicundis papulis velut pyropis distincta, oculis cæsiis & prægrandibus. quæ si à natura habuit, nemo probro vertere debet, quod vitia eiusmodi artificio tegere statuit. si vero formę lenocinari voluit, me quoque iudice censoriam virgulam non effugiet. Hæ enim feminarũ, & quidem sese prostituentium, artes sunt. Et quamuis in deformibus aliquo modo ferri possint, quod illius rei, qua vnâ ferè (ceterarum namque virtutum ac bonorum pleræque expertes sunt.) se viris placere nôrunt; defectui remedium ab arte quærunt: videmus tamen nonnullas etiam natiuam pulcritudinem ac formæ decus fucis eiusmodi interpolare ac dehonestare, non sine valetudinis & rei familiaris detrimento. Est enim verisimnm Hispauorum prouerbium: *La mugier quanto mas*

Fucus viros non decet.

mirare la cara, tanto mas dest uye la casa. Nôsti Terentianum istud: *Dum molliuntur, dum comuntur, annus abit.* Quanto satius est matrem familias è specula domum, quam in speculo formam suam assiduè contemplari! Tum quid attinet tam crebro lauari, aut fricari, aut tergeri, aut ornari, poliri, expoliri, pingi, fingi, nisi forte sese esse vt muriatica autumant, quę nisi multa aqua & diu macerentur, olent, salsa sunt, tangere vt non velis. Quin vos quę lepidæ estis, lepidis vos exornatis moribus? Ad vnguenta quod attinet, *Optime illa olet, quæ nihil olet.* Sed ineptias vestras atq; offucias vobis relinquo: quas si quis virorũ affectare ausit, eum ego vobis noxæ dedendum arbitror, vt sub regno vestro vapulet.

CAPVT

CAPVT II.

Quæ & qualis fuerit mater Gusmani Alfaracij. & de occasione contracti inter eius parentes matrimonij.

GENVAE annos aliquot commoratus pater meus, Hispalim deinde profectus est. Ibi dici non potest quantam negociorum molem repererit, dum debita flagitat, credita partim negat, partim eludit: quibus tricis tandem ita sese explicuit, vt præter ipsā sortem, amplius aliquid reliqui fecerit. Quid enim facerent creditores? De vino effuso colligi debet quod potest. Et vero quas secum attulerat opes diligenter celabat. Redditus hoc modo negociis, breui tempore, dextro Mercurio, rē auxit non mediocriter, ita vt certum ibi domicilium figere consti- *Artes decoctorū.*

tuerit. Aedes ergo ſibi comparat, agrum, fundos inſtruit: tum prædium ſuburbanum à quodam ex Nobilitate, cui non exiguam pecuniæ ſummam feneri dederat, pigneratur, ac non multo poſt currentibus vſuris, ſuum facit, iã aliquid amplius quam mercatorem ſpirans. Neque enim nouum tibi videri debet, ex mercatoribus ære dirutis Nobiles fieri. Dũ in foro cum aliis mercatoribus quodam tempore pater obambularet meus, forte fortuna infans ſacro fonte abluendus magna cũ pompa ad maius vrbis templum deferebatur. Aiebant, neſcio cuius patris, neſcio quem eſſe filium. *Ex aſpectu amor.* Turbæ ſe immiſcens (vt erat curioſus) pater meus, ad baptiſterium vſque accedit, videt ibi mulierem cum ſene quodam, Religioſæ militiæ, vt inſignia & habitus oſtendebant, ſocio, infantem è baptiſmo ſuſcipientem: mulierem, inquam,

inquam, iuuenculam, scitulã, bellam, & quasi ab ipsius Veneris & Gratiarum manibus factam. Quid multis? tam eximia venustate captus pater meus, oculos aspectu satiare non poterat; iamque hamo vorato, totus in amore hærebat. Sensit hoc facile ex defixo obtutu astuta mulier; sed non minus prudenter dissimulabat. Eo mulieres sunt ingenio, vt etiam ab inferioris conditionis hominibus adspici gaudeant, ratæ, formam suam illis admirationi esse. Tacebant linguæ vtriusque, sed loquebantur oculi, hinc inde amatorium ignem eiaculantes. Tum quidem pater meus, quamuis sollicite inquireret, nihil aliud expiscari poterat, quam domesticam esse eius cui adstiterat Religiosi Militis, quîcum ille caput quasi clam limaret. Discedentem oculis quantum poterat, atque etiam ipso corde prosequutus, quiescere nul-

lo modo poterat, sed noctes dies que quomodo tanto bono potiri posset, commentabatur. Et videndi quidem eam alia copia non erat quam in templo inter sacra; alloquendi non item. Mirum in modum anxio commodum offert se vidua quædam, sub matronali habitu lenoniam exercens artem, ex illo genere quæ Satanicis artibus etiam castissimarum pudicitiam expugnant. Hac vsus internuncia, epistolas missitabat, additis quibusdam munusculis (quod fidem sine operibus mortuã censeri non ignoraret) quæ illa verbis, vt erat diserta, ornabat, & stipulam gliscenti flammæ indiet subiiciebat. Hic diu anceps cura bonam mulierem tenuit. Iam prouectæ ætatis erat miles ille: screabat, tussiebat, renum, calculi, podagræ doloribus vexabatnr. at eã opipare, & laute habebat, veste, argento, auro donabat, soli omni-

O impij.

Artes lenonia.

um ſuarum rerum curam committebat.è contra pater meus ſtata erat ætate,ſtatura procera, corpore firmo ac robuſto, moribus ad elegantiam ex vngue factis, animo liberali, omnium denique horarum homo. Nec facultates deerant, quas (vt ſolent amatores ac proci) de induſtria maiores quam erant oſtentabat. Tandem re vltro citroque deliberata, ex mulierum ingenio, quæ inſtar primę materiæ nouas formas ſemper appetunt, conditionē ita mutare decreuit, vt præſenti quidem vteretur, de futura autem poſt mortem domini, quam non procul abeſſe videbat, ſibi proſpiceret. Sic enim ratiocinabatur: In hoc omni negocio perſonam meā ac vitam nulli expono periculo: nulla ſupellectile pauperiorem domum meam facio; ſed quaſi lumen de lumine accendatur, illud ipſum quod do, integrum manet, *Humana imbecillitas.*

nihil mihi perit. AEqunm sane est vt erga benemeritum grata, neque tamen erga alios auara sim aut parca. Quin ergo ex vna fidelia duos dealbo parietes? Duabus ancoris melius tenetur nauis: quarum vna si fracta fuerit, in altera spes erit. Hæc quum ita apud se constituisset, proxima illa erat deliberatio, quando, vbi & quomodo patris mei consuetudine, hero inscio, vti frui posset.

N. astutiā muliebrē. Capto tandem cum lena consilio, pseudomarito persuadet, vt secum & cum magna familiæ parte ad locum quemdam amœnissimum sesquimilliari circiter ab vrbe distantē, animi recreandi caussa proficisceretur. quod ille non grauate fecit. Erat vero ea loci ratio, vt eò proficiscentibus prædium illud patris mei, de quo supra dixi, prætereundum esset. Ab eo quum non procul abessent, misera miserè exclamare cœpit, grauissimos

mos vteri dolores suboriri sibi conquesta, & matutinum frigus morbi caussam caussata. ea vero doloris, iá ambabus manibus vẽtrem premendo, iam fibulas, quibus pectus constrictum erat, soluendo, iam caput rotando, signa dabat, vt è sella, qua mulo Hispanicarum mulierum more, imposita vehebatur, detrahere eam necesse fuerit, magna cum omnium, de eius valetudine iam conclamatum existimantium, commiseratione, etiam viatorum, qui interea multi eódem loci venerãt. & quisque appositum morbo illi, vt putabant, remedium proponebant; quorum tamen nullum erat vsui, quum nec locus esset vnde peterentur, nec vbi applicarentur. Ad vrbem redire erat impossibile; progredi magis difficile; in media via ita destitutam iacere, probrosum. In tanta consilij inopia ait quidam è viatoribus: Quin

vos, relicto itinere, bonam han
matronam in proximam illan
villam defertis, morbi sui reme
dium ibi forte inuenturam? Et hi
non erat Princeps Sacerdotum
vaticinabatur tamen. Tam bon
ac promto consilio omnibus as
sentiétibus, Milite inprimis, mit
titur qui patrisfamilias aut dome
sticorum voluntatem explorare.
Ei ostium pulsanti ancilla à patr
meo qui clam ibi erat, de omni
bus quæ facienda essent edocta
(quamuis & ipsa in his plusqua
nimium saperet) occurrit, & lice
herus absens esset, liberaliter om
nia pollicetur. nec mora. dela
excipitur comiter, portatur in cu
biculum egregiè ornatum, in le
ctum collocatur, incenduntur o
dores, apponitur mensa exquisit
cibis ac bellariis exstructa, cale
unt lintea tergendo vtero: qu
tamen illa non ventri sed inferio
ribus membris applicuit, ne fort
stoma

ſtomachus inde motum aliquem ac ſolutionem ſentiret. Sedatis iã quodam modo doloribus, dormire paullum ſe velle ait. quo lætus Miles, feneſtras omnes occludi, ac familiares abire iubet: dein etiam ipſe in proximos diſcedit hortos, diligenter edicens omnibus, ne quis cubiculum ingrederetur, aut clamore vel ſtrepitu quieſcenti moleſtus eſſet: dato viduæ illi lenæ negocio, vt curam eius haberet, & quamprimum euigilaſſet, ſibi renunciaret. In proximo interim conclaui latens pater meus hæc omnia audiebat: iamque altiſsimo vbique ſilentio, per pſeudothyrum, cubiculum ingreſſus, lena interim in excubiis ſtante, ea remedia ægræ mulieri applicat, quibus intra bihorium perſanata fuit. Iam dies multum proceſſerat. quocirca Miles moræ pertæſus, & conſilium vel ad conſtitutum locum progrediendi, vel ad vrbem

redeundi, ex Amatæ valetudine capturus, ad cubiculum in quo mater mea iacebat, viam rursus affectat. de quo certior factus Iouialis Amphitruo, ad prius illud suum stabulum se recepit: inde mox per posticum se proripiens, clam omnibus Hispalim regreditur. Suspenso gradu appropinquãtem Militem sentiés mulier, quasi è graui somno euigilans, Hei, inquit, molestos homines! siccine vel vnius momenti quietem mihi inuidetis? Tum Miles sese excusans, dolere sibi dixit quod intẽpestiue eam excitasset: ac lubenter diutius exspectaturum fuisse, nisi iam à somno relictam existimasset, vt quæ iam duas integras horas dormierit. Egon, inquit mulier, duas horas? At ita valeam, vt ego iamiã modo obdormisse mihi videor! Sed quantulumcunque fuerit pauxillum hoc temporis, vix vmquam certè suauius me quie-

quieuisse memini. multumq́; laudato quod applicitum ipsi fuerat remedio, à quo vitam accepisse se aiebat, lætum præ se ferebat vultũ; quo magnopere recreatus Miles, non inuita, immò suggerente ipsa, eum diem vbi erant loci, hilarem agere statuerunt, vt cuius non minor esset quam eius ad quẽ ibant amœnitas. Mox ergo quidquid secum attulerant cibi ac vini depromitur, ac mensis infertur, & non ab hero solum & hera, sed à domesticis quoque Saturnalia celebrantur.

Solutis in lætitiam omnium animis, pater meus Hispali, vti solitus erat, equo ad villam reuectus superuenit. Occurrit statim Miles. Importunitatem suam vel impudentiam potius, ignoti hospitis liberalitate abutentis, repentino & in ipsa via orto mulieris morbo excusat: vicissim officia quæque pollicetur. Non minus artificiosis *Ea non minus viris vsitata.*

verbis mulieris casum miseratus pater meus, de tanti viri amicitia inde conciliata sibi gratulatur; tũ reliquis ceremoniis ita defungitur vt ex veruecum patria nõ esse facile appareret. Sublatis mensis, chartæ lusoriæ poscuntur: quo in ludo pater meus ita pugnabat tãquam qui vincere nollet, omni lucro ad Amatam iam vtrique redeunte. Appetente iam nocte, cymbã frondentibus ramis ornatam, conscendunt, & Musicis deãbulantium concentibus, quod fieri eo tempore & loco amat, vtraque ripa personante, in vrbem reuertuntur. Contractam ex eo amicitiam pater meus diligenter postea coluit, Militem omni honore, & quib. poterat officijs prosequens, contubernalem vero seu thori participem quæ placere intelligebat munusculis demerens; ita caute tamen, vt bono seni nulla daretur suspicionis ansa. quod facile

Artes mulie-bres.

ſac le erat Pœno homini, in Genuatum ſcholis erudito; tum mulieri Bæticæ, coccyce, quod dicitur, vere aſtutiori, & ab ineunte ætate iis quas dixi artibus aſſuetæ. Vix credi poteſt quam lucroſum hoc fuerit matri meæ cõtubernium. Pauciſsimis certe annis, vt ipſam non ſemel mihi narrare memini, ab vtroque plus tribus ducatorum millibus corrogauit, præter mundum muliebrem variamque ſupellectilem, rei faciundæ vnice intenta. Non enim ignorabat, quam raro eiuſmodi occaſiones homini ſe darent: quibus niſi vtaris, cum ipſo tempore è manibus quam velociſsimè elabuntur.

Erat, vt ſupra dixi, bonus ille homo iam ante prouectæ ætatis; mater vero mea adoleſcentula, forma ac moribus planè illecebroſis, ex quo factum eſt, vt effetus ille ac viribus exhauſtus *Etiam diuites mortui inopes.*

non

non multo pòst vitam cum morte commutaret; matremq́ue meam, superstitem, quæ sæpè antea iura. rat sine ipsa se viuere non posse, vt & ipse illam vitam suam appellabat, & se ipsum mendacij conuicerit. Dum animam ille ageret, animam quoque agebat res ipsius familiaris, omnibus qui tanquam vultures ad cadauer, cōuolauerāt, quod quisque poterat, ad se rapientibus. Sed melior sors erat matris meæ, cui tamquam promæcondæ, viuus ille, traditis clauibus, omnia crediderat. Quid multis? Multorum, quamuis non conductorum, sedulitate omnes cistæ exenteratæ ac tota domus ita perpurgata fuit, vt vix lodicula inuoluendo cadaueri superfuerit, non sine cognatorum maximè & affinium, & admiratione & indignatione. Diligenter quidem inquirebatur, quo tandem opulenti senis (ita namque putabatur) fortunæ

tunæ deuenissent ; affixis etiam censuris Ecclesiasticis: sed minus nihilo poterat deprehendi. Quotus quisque enim facto aut fraude ablatum vltro restituit ? Mater mea , quæ omnium suspicionibus designabatur, ita se purgauit, vt diceret, nunquam illum congerendarum opum studiosum fuisse, sed eo quod præ manibus erat vsum, pauxillum quiddam ab illo sibi non donatum, sed bene & cum pœna coporis meritæ mercedis loco datum. Nec rei tantum , sed conscientię quoque volens consulere, Iurisconsultos interrogabat: à quibus responsum fuit, eiusmodi donationes conscientiam minime lædere: nec repudianda esse talia munera, quæ licet turpiter acquirantur, honeste tamen accipiũtur. Nullibi mihi magis verum visum est vsitatum illud verbum , quo diuites fame ; pauperes ingluuie; & quibus suus non est, heres, Eccle-

clesiastici inprimis, nuditate & frigore mori dicuntur. Diuites enim perpetuo valetudinis tuendæ studio ad Medicorum præscriptum tam sobriè edunt ac bibunt (nolo hic quidquam de illis dicere quibus auaritia sobrietatis est magistra.) vt vix vnquam de mensa saturi surgant. quod si morbus, vel morbi saltem suspicio ingruerit, adest statim Medicus, cibum, potum vnciatim dispertit, vini vsum, & quidquid fere palato sapit, interdicit, potiones medicatas propinat; quibus corpus non nutritur, sed emaciatur, donec tandem quasi fame contabescat & emoriatur. Pauperes vt in vita ad exsatiandam quasi congenitam famem, auide in ventrem omnia cógerunt; ita postquam ægrotare cœperint, à notis & vicinis ex Christiana charitate certatim aggestis varij generis esculentis ac poculentis tantum non obruun-

obruuntur. Videas etiam mulierculas nonnullas nimia pietate inductas per nosocomia & Xenodochia cum canistris & sportulis delicato cibo plenis discursantes; quę dum miseris eleemosynam dant, vitam adimunt, cruditate stomachi nimis multa ingesta cõcoquere non valentis, enectis. Ecclesiastici densque & quibus nulli fidi sunt domestici, si in morbum inciderint, & vestiarium & bona sua omnia diripi vident, ita vt miseris vix lectus in quo cubant, relinquatur, atque ita cum frigore conflictandum sit. Sed ad rem.

Quo tempore mater mea, licet nupta nunquam fuerit, vidua facta est, ego iam quadrimus eram: iam tum quum nascerer tanto felicior, quod velut alter Hercules, duos haberem patres, à matre mihi certa feminini calculi arte, assignatos; quod an per Naturam fieri posset, Medicorum discepten *Curruca.*

filijs

filij. Ego vt vtrique palpabar ac pueriliter abblandiebar; ita vterq; me amplexibus, osculis obruebat, ac pro suo agnoscebat. Aiebat ille, me viuam esse sui imaginem, nec ouum ouo esse similius: alter, suum vultum in meo spectari; per quem si vel cæcus manum ducat, tantam quanta vix vsquam esse queat, similitudinem facile sit deprehensurus. Illud tantum erat discriminis, quod qui putabat ac profitebatur se patrem meum esse, non erat; qui vero erat, quoad ille alter viueret, dissimulabat. Hæc ego non ex coniectura, sed matris meæ relatione habeo: qua nullus ad honorem testis est magis idoneus aut fide dignus. Quocirca omni meliore forma ac modo protestor contra illos qui incertum esse dicent, vtri horum, aut forte tertio alicui ortum meū debeam. Næ illi omni odio digni sunt qui nodum in scirpo quærūt, & igno-

& ignota nihilque ad se pertinentia inuestigant. Quid enim ipsorũ refert, duos ego an tres, Seium an Mæuium patrem habuerim? Mihi satius est multos quam nullum habuisse patrem. Et ipsi matrem forte, patrem non facile possent ostẽdere. Nec mirum, quum etiam Telemachus num Vlysis esset filius, rogatus, responderit:

Μήτηρ μέν τ' ἐμέ φησι τοῦ ἔμμεναι· αὐτὰρ ἔγωγε Odyss.
Οὐκ οἶδ'· οὐ γάρ πώ τις ἑὸν γόνον αὐτὸς ἀνέγνω.

Esse quidem illius mater me ait: ast ego sane
Nescio. nemo suum patrem nam nouerit ipse.

Sed absit vt cuiusquam matronæ castitatem sugillemus. illud tantum Quodlibetarijs discutiendum hic relinquo, an firmiori nitatur ratione Salica Gallorum lex, quæ liberos è mascula tantum

regij

regij ſanguinis ſtirpe progenitor ad regnum admittit, an illa neſcio cuius non ita pridem cognitæ gẽtis, quæ reges à feminina proſapia petit. Ad me quod attinet, quin matris meæ fuerim filius, nemine ambigere memini. Quod ſi patris cauſſa vitium aliquod fuit in natalibus, illud ab eoipſo fuit emendatum, ducta in legitimam vxorem matre mea, ſenis illius contubernio iam viduata. Nam etſi non ignorabat quę eſſet omnium de ea exiſtimatio & fama; vicit tamen omnem honeſtatis rationem pecuniæ, quam penes ipſam eſſe ſciebat, cupiditas. Non parum quoq; apud eum potuit mei amor, quem iam ante filium ſuum eſſe ſibi perſuaſerat: tum priſtinæ illius furtiuæ cum matre meæ conſuetudinis recordatio. Peractis ſine magna pompa nuptijs, pater meus nihil aliud agere quam comeſſari, ludere, domi foriſque immenſos ſumtus

tus facere: quibus quum redditus minime responderent, iaceret interim negociatio, paucis annis & dos matris meæ, quam sibi ipsa acquisierat, cuius precium non minus erat decem scutatorum millibus, & prædium Alfaracium absorpta sunt. Nec multo post pater meus non tam morbo quam mœrore confectus, e viuis discessit.

Tam inopinato fulmine icta mater mea, indies conditionem suam ex mala peiorem fieri sensit. Non infamia tantum, sed odio etiam apud plerosque omnes, maximè honestos, laborabat, intolerabili arrogantia, quam in omni superiori vita præ se tulerat, collecto. Nec enim inusitatum est, eiusmodi notæ homines supra alios sese efferre; præsertim si paullo secundior fortuna eis adspirarit. Sed putidæ isti superbiæ Nemesis tergum premit. Quod quidem mater mea bene est experta. Vbi namq; *Viduarum conditio.*

amici

amici iuxta atque inimici tantum non ad incitas redactam vidêre, statim velut solutis omnium linguis, qui antea in occulto detraxerant, miseram publicis sermonibus & conuicijs proscindebant, immò pipulis quoq; differebant, repetita non modo ipsius & patris mei, seu potius patrum meorum historia, verùm etiam ad auum atque auiam vsque producta. Narrabant enim, quomodo auia mea, pro eo quod mater mea duos, duodeviginti habuerit viros, eosque omnes ita cicures ac mansuefactos, vt tanquam pulli gallinacei sine vllo prœlio aut dimicatione ex eodem vasé ederint ac biberint, vna atque eadem corte inclusi, ex quo facile potest intelligi, quam patrum diues fuerit mater mea. Singulis enim eorum astuta mulier, immò vnusquisque sibi persuaserat, se verum patrem esse. Vnum tamen præ ceteris magnificiebat,

Proles parentũ similis.

ciebat, qui nuper è Peruana venerat, & aurum atque argentum corbibus aggerebat. In eo auiæ meæ sors multo erat potior, quod filiã haberet, qua se familiamque facile ac commode sustentabat: at matri meę filius erat, ad perdendum tantum, non ad lucrandum natus. Quod si soror mihi, matri filia se digna obtigisset, equidem medium ostendissemus Fortunæ digitum; quum Hispali in tanta varia negotia exercentium multitudine nũquam defuturi fuerint preciosi dedecorum emtores. sin isthic ad lubitum res non successisset, vti flumina omnia mare, ita me quoque ac meos Aula recepisset. Vidi quippe ibi ad officia, commissiones, præsertim peregre obeundas, nullas facilius promoueri quam quibus domi aut mulier, aut soror formosa & amabilis est. Horum nihil quum mihi esset, nec vlla daret se arbor, quę vmbram mihi fa-
 ceret,

ceret, relictis matre ac patria, tentandum mihi duxi, an fortunæ meæ faber ipse fieri possem.

CAPVT III.

Prima Gusmani peregrinatio.

Adolescentiæ imperitia

ERam, vt dixi, viduæ filius, tenellus adolescens, mollitie & luxu perditus, sine disciplina tam paterna quàm materna, in meris delicijs, non minus quàm Toletani alicuius prædiuitis mercatoris filiolus, educatus: quibus paullatim deficientibus, quamuis ægre è complexu matris auellerer, non tamen amplius tantam fortunæ mutationem ferre sustinebam. Animum addebat ipsa ignorantia, omnem aliam terram non minus quam patriam propitiam ac deliciarum feracem mihi fore imaginanti. Accendebar quoque desiderio paternos amicos ac cognatos foris videndi: quos certatim ad me exci-

excipiendum, fouendum, vel manibus deportandum, atque adeò inaurandum occursuros mihi persuaseram. Quid multis? Sabinorum more modoq́ue somniabam. Sed idem mihi accidit quod cani AEsopico, relicto quod in ore habebat carnis frusto, vmbræ eius quod in aqua aspexerat, inhianti. Quamprimum fere extra portas pedem extulissem, subito nescio quæ mœstitia ita me inuasit, vt duo quasi Nili ex oculis meis erumpere viderentur. Sic lacrymis totus madens, & animi anxius, quũ suspenso velut inter cœlum ac terram gradu spacia aliquot confecissem, multo magis turbari cœpi, vt appeterẽ iam noctem sensi. Iam ad fanum S. Lazari, quod vno ferè miliari Hispali abest, perueneram. *N. peregrinaturi.* ibi paullisper considens, excussis diligenter omnibus meæ vitæ rationibus, quum me ad iter tam malè paratum animaduerterem.

domum reuerti decreui. Nam & contra hibernum gelu vestibus malè armatus eram,& nullo pæne (quod mali caput erat) viatico instructus. non pransus fueram, non cœnatus. quod si mihi mens non læua fuisset,prius aliquid alicunde in zonulam corrasissem pecuniæ, & in peram aliquid cibarij condidissem, quam iter essem ingressus. Tum quidem primùm ego intellexi quantum intersit inter saturum & famelicũ ventrem: & quam pulchrè saperet Plautinus ille parasitus, qui homines nequaquam catenis vinciẽdos,sed escarijs vinclis adstringendos censet.

Quem(inquit) tu asseruare rectè, ne aufugiat,voles,
Esca atque potione vinciri decet.
Apud plenam mensam homini rostrum deliges.
Dum tu illi quod edit & quod potet prabeas
Suo arbitratu atque affatim cotidie:

Num-

Numquam edepol fugiet, tametsi capital fecerit.

Labores certe omnes & ærumnæ quantumuis graues victus copia ac benignitate leniores redduntur, at si ad labores adiungatur fames, nihil miserius vel cogitatione fingi potest. Quin etiamsi cetera omnia abunde adsint, desit autem ventri cibus: ceteris omnibus vnũ hunc defectum redimere pensi nihil habeas. Non sine caussa famem *malesuadam* dixit Poetarum princeps. exemplis, quæ nimis quamplurima suppetunt in re odiosa, nõ vtar. Tali incommodo tum primùm conflictatus, omnique destitutus & consilio & auxilio, nihil aliud quam hinc profundam voraginem, illinc altissimum præcipitium oculis meis subiecta videbam. Tandem frustra desatigato varijs cogitationibus animo, rem omnem Deo committere decreui: ac templum, quod dixi, in-

Victus optimum in vita.

greſſus,tantobreuiori (quam deuota aut efficace, neſcio) Deum comprecatus ſum, vt iter meum ac cœpta omnia fortunare vellet, quod appetente iam nocte,æditum in claudenda æde iam occupatum viderem. Sic deprehenſus, in porticu cubile quæſiui, ac profundo oppreſſus ſomno totam noctē in multum vſque diem dormiui; ipſa melancholia forte ſomno materiam ſubminiſtrante. Equidem, credo,adhuc ibi iacerem, niſi manè mulierculárum quarumdam cum noua nupta ad Eccleſiam venientium, & pro more patriæ cantu ac cymbalis perſtrepentium aduentu fuiſſem excitatus. Quum ægre ad me redijſſem, cibo inanis, plenus tamen ſomnolentia, multo minus quam antea quid agerem conſtitutum habebam; immò vix vbi locorum eſſem, ſciebam: adeoque experrectus ac vigilans ſomniare mihi nihilominus videbar. Tandem

dem recurrente quas heri aggreſſus eram rerum memoria, cum animo ita conſtitui: Quod ſelix fauſtumque ſit, ac mihi ſalutare: iam iacta eſt alea. Itaque cœptum iter proſequar; quo tamen irem, plane adhuc incertus. Optimum viſum eſt vt maximè tritam viam ingrederer, quocunque tandem illa duceret. Ducebant me pedes, ſequebar ego ambulans, nihil penſi habens, ſed rem omnem diuinæ prouidentiæ committens: ad exemplum neſcio cuius Medici, qui literarum & artis ignarus, ſi forte ad ægrum veniſſet, nō conſiderata morbi aut ægrotantis natura (qui enim poſſet, homo rudis?) vnum aliquod medicamentum ex innumeris, quæ chartis perſcripta aſsidue ſecum circumferre ſolitus erat, veluti ſorte ducebat, prius Deum comprecatus, vt bene conueniens ac ſalubre in manus ſibi mitteret. Itidem ego ſine vllo filo

quasi labyrinthum ingressus, progressum, exitum & omnia soli Deo commisi. Postea certe expertus sum etiam mala bonis in bonū cedere, modo Deo morigeros se præbeant, & quæ à manu ipsius proficiscuntur, patienter ferant. Me quidē omnis generis ærumnæ ab initio peregrinationis meæ ita persequutæ sunt, vt vix respirādi mihi spaciū cōcesserint. Sed pleręque harū nō erant ex illis quas Deus immittit, sed quas ego mihi ipse iumento meo accersiueram. Immane vero quantum hæ ab illis discrepant. Quæ à manu Dei veniunt, purum putum aurum sunt scoria inuolutū, gemmæ preciosæ sed rudes & impolitæ, rosæ inter spinas: ad salutem, non ad perditionem natæ & datæ. In quas vero homines sua ipsorum culpa se cōijciunt, viperarum sunt morsus, ictus scorpionum in sinu latentiū: in quibus illud multo omniū pessimum est, quod ipsa conscientia

vix vlla admittit solatia, quæ superioribus illis abunde suppetunt. Sed in hoc velut rationum libro vtramque paginam peccata nostra faciunt: quibus eluendis, vniuersum omnium miseriarum mare satis non est.

Sed vt ad me redeã, quũ eo die ad duo fere milliaria progressus essem, iã ad Antipodas peruenisse, & quasi alter Columbus, nouum terrarum orbem reperisse mihi videbar. commodùm in via hospitium video. ingredior, fessus de via, fame & siti confectus. Meridies erat, ipsum prandendi tempus. Rogo hospitam vt cibi aliquid apponat. illa nihil præter oua se habere respondit. atque vtinam ne hæc quidem habuisset. Sed quid oua dico? Equidem quid gallinæ quæ illis incubuerat acciderit, nescio; hoc scio non tam oua quam pullos incrustatos fuisse. Credo gallinam matrem à vulpe *Hospitiorum descriptio*

aut hoſpitibus deuoratam ante-quam oua excluſiſſet; quorum ia-cturam ne faceret frugalis mulier, bonis illa & ſinceris miſcuit, mihi-que, dignas labris lactucas forte exiſtimans, appoſuit. Vt me ergo vidit puerum valentulum, vultu ac totius corporis lineamẽtis haud deformem, manu leniter per fron-tem ducta mentum mihi permul-cens, Quam viam, inquit, noſter hic inſiſtit nepotulus? Ad tam fœ-dum contactum exhorreſcens, ac pluſquam nauſeabundus, O ma-ter, inquam, non audis inteſtina mihi latrantia? Succurre famelico. de itinere meo poſtea & rogandi & reſpondendi tempus erit. Com-modum tum accidit vt ſtomacho eſſem plane vacuo, alioqui omnia funditus eiecturo. Tum feſtina-bunda illa ſcabello fracto inſidere me iubet, apponit menſulam in qua paullo ante vituli inteſtina purgauerat, ſordium reliquias te-

gente

gente mappa pæne ſpurciore, pro ſalillo fundus erat fractæ lagenæ fictilis, poculi vicem explebat catillus ater ligneus. Tali apparatu dignæ mox dapes afferuntur: panis furfuraceus, placenta male cocta, ipſo furno nigrior, emplaſtrũ potius dixiſſes. Quid multa? & ipſa hoſpita, & panis, & omnis apparatus tam erant ſibi ſimilia quam aqua aquæ: ex eodem puteo ſcilicet hauſta. Facile videbam domi me non eſſe; vbi nec ipſæ deliciæ ſatis mihi placebant? Sed quid facerem? Et oua illa, vel potius incruſtati pulli gallinacei, & quidquid appoſitum erat, in ventrem meum tranſierunt. Illud tum intelligebam, Optimum condimentum eſſe famem, cibi tamen defectum ſupplebat vini bonitas, quo animi ac corporis vires mediocriter reſtauraui. In viã inde regreſſus, dum totus ille apparatus, & inprimis ipſius hoſpitæ ſordidiſ-

ſimus habitus animo ſubinde oc-currit, dum miſeros pullos inte-ſtina mihi quaſi roſtris impeten-tes ſentio; tanta ſtomachum me-um inuaſit nauſea, vt velut à fun-do commotus, quidquid inge-ſtum fuerat, eiecerit. Sic langui-dus omnino ſub proximæ arboris vmbram me recipio, paullum quietis capturus.

CAPVT IV.

Agaſoni narrat Guſmanus quid ſibi in caupona acciderit. is vi-ciſsim cum multo riſu duas illi ſimiles narrat hiſtorias. De in-iuriis condonandis Diſſer-tatiuncula.

DVM variis curis ac cogitati-onibus diſtractus, mentum vna ſuffulciens manu, humi ita re-cubo, Agaſonem ecce vacua ar-menta Cazzagliam verſus (erat id

id proximum oppidum) agêtem: qui vt turbatum me ac tristem plane vidit, cuias essem, vnde venirem, quonam irem, aliaq; quæ solent, percunctatus est. Respondeo quæ visa erant: & inprimis quid in caupona mihi acciderit, narro. Heic ille in tantum repente risum effusus est, vt sibi pæne ilia dissoluerit; mihi vero bilem non mediocriter accenderit, adeo vt tota mihi facies paullo ante instar mortui pallida, subitaneo rubore suffunderetur. Hem, cogitabam, scelestum hominem qui fortunam tuam non modo non miseratur, verum etiam deridet! Et hanc quidem, vt mihi videbatur, iniuriam vlcisci misere cupiebã. Sed vanam sine viribus iram esse facile intelligebam. Sane prudenter eos facere iudico, qui quod mutare non possunt, dissimulant, & pro ira patientiam animo imperant. Quid enim misellus ego,

cum omni mea indagatione lucri fecissem. Traduxissem scilicet me ipsum; & vnà cum maiori ludibrio periculum quoque mihi accersiuissem. Non continere tamen me poteram quin caperata fronte ac vultu adducto ita alloquerer cachinnantem: Quid tu, mi homo, an dignum me risu ac ludibrio existimas? non te pudet iacenti insultare, & afflicto afflictionem addere? Ille quasi non exaudito sermone meo, multo magis ridere, adeoque in cachinnos effundi, vt ambabus manibus ventrem continere cogeretur, & iam iamque asino delapsurus videretur. Fauebam ego lapsabundo: is vero vbi paullum se collegit, Non tuam, singultiens adhuc risu, inquit, ô adolescens, quæcunque illa sit fortunam (absit enim à me talis inhumanitas vt sim ἐπιχαιρέκακος, id est, *alienis malis gaudeas*) sed id quod ante bihorium

Mæror suspicax.

fere

fere in ea quam dicis caupona accidit rideo. Tum pergens, numquid obuios hodie habuisti duos adolescentes, militari habitu vestitos? Ego, inquam, si recte memini, non illos quidem obuios habui, sed egressus in cauponam modo aduentantes reliqui. & sane vterq; feroculus mihi videbatur. Non erras, inquit ille. Sed audi quid fecerint. interim vero dum narro, asino huic inside, vt commodius vnà quod ad oppidum vsque restat viæ conficere posimus. Tantam in agresti ingenio, vt paullo ante mihi videbatur, humanitatem exosculatus, quum iumentum conscendissem, non procul inde duos ætate & habitu venerandos viros aspicimus, sub arbore aduentum nostrum præstolantes. Ad eos vbi venimus, idẽ beneficium peutnt quo ille vltro me affecerat. Nihil ille tergiuersatus, exiguam tantum mercedem pactus,

Agrestis humanitas.

pactus, vtrumq; in vacua iumenta recepit. Mora hæc dici non potest quantopere desiderium id quod in caupona acciderit cognoscendi auxerit; tanto magis quod nescio quid in caupona illa designatum, & horribilem de pessima muliere vindictam sumtam, cogitatione mihi fingebam. Sic hominum est ingenium. Quas alijs faciunt iniurias (& quotusquisque est qui hoc ipsum possit agnoscere? immò pro beneficio nonnulli imputant, quod summa est iniuria) leues putant, quas vero ab alijs accipiunt, aut accipere sibi videntur, vix vllis pœnis expiandas credunt. Iam ego igne cœlitus demisso cauponam combustam, iam impiam mulierē à terra absorptam, aut ad minimum, à duobus illis Martijs pullis arbori alligatam & ad necem vsque plagis oppletam mihi imaginabar. Sed si non planè puerili fuissem ingenio, facilè ex immo-

Quisque sibi blanditur.

immoderato hominis risu magis iocularе aliquid quam triste animo concepissem. Vrgeo hominem vt narrare pergat. ille sic infit: Duo illi de quibus dicere cœpi iuuenes in eadem qua tu caupona non minus laute tractati sunt, sed minus gratam hospitæ symbolam soluerunt. Ex eodem ouorum genere placenta eis fuit apposita: sed quũ illi vitella iam ossiculis obriguisse deprehendissent, dissimulata nausea, ecquid aliud edulij in promtu esset quæsiuerunt. Commodùm piscator mullum prægrandem in cauponam attulerat hospitæq́ue vendiderat: quem illa exenteratũ, in frustra sectum & modico sale conditum penori inclusit. Tum alter, Mea mater, inquit, piscem illũ nobis vende, & frustum vnum aut alterum nobis in prandiũm para: quod reliquum fuerit, ad cœnam reseruabimus. Licitantur. addicit illa multo maioris quam antea emerat.

Pulcher error.

merat. Frustum vnum elixum, alterum assum illis apponit: reliquum illi strophio inuolutum in peram condunt. Iam saturi, alter placentam clam dextra capiens manu, vetulam alijs negocijs occupatam, quasi symbolam posciturus, accedit, & in os, oculos, totamque faciem placentam (ex ouis dicam an pullis?) ita impingit, vt quasi omni sensu amisso obstupesceret, & extra se esset. Accurrit mox alter, & sodalem obiurgans, scilicet, calido cinere faciem emplastratam ita ei opplet, vt pisci ad frigendum apparato similis videretur. Hic iterum bonus ille homo in tantos cachinnos effundi, vt narrationem pertexere non posset. Nos ridentem ridemus. ille vero, quæso, inquit, ignoscite. Mihi quotiescunque vetulæ illius impurissimæ spectaculum animo occurret, quoad vixero, materia risus nunquam deerit. Tum ego, Mihi vero semper

Sic datur.

per erit vt doleam, quod de pessima illa vltionem ipse sumere non potui: gaudeo tamen à duobus illis meam vicem suppletam: quibus, si possim, lubens bene faxim. Erit tamen forte vbi meipsum quoque vlciscar.

Hæc quum alter comitum nostrorum audijsset, sermonem meũ vultu aspernatus, Hæc verba, inquit, ô adolescens, splendida tibi bilis suggerit: non verò dubito, si mihi auscultaueris, quin culpam in eo tuam sis agniturus atque etiam in posterum vitaturus.

Contra vindictæ cupidos.

Deus ac Seruator noster Iesus Christus omnibus suis fidelibus stricte imperat, vt inimicis omnes condonent iniurias, immò benefaciant quoq; ijs à quibus odio habentur. Vbi notandum est, non iubere vti bene ijs faciamus, qui nobis male faciunt. Potest quidem inimicus odisse te, malè facere tamen tibi non potest, si tu nolis.

Quum

Quum enim ea tantum vere bona sint quæ semper durant, nec vlli mutationi sunt obnoxia: manifestum est illa quibus hodie abundamus, cras caremus; in malis potius quam bonis habenda, vt quæ multorum malorũ caussę sunt, dum ijs confisi, nos ipsos perdimus. Quod si verè loqui velimus, inimici sunt quos pro amicis, & amici quos pro inimicis habemus. Tu quidẽ eum amicum putas qui vel facultatibus suis te iuuat, aut fauore suo te prouehit, aut aliqua alia ratione commoda tua promouet. Sed ô Deum immortalem, quanta est eiusmodi amicorum paucitas!

—Vix sunt numero totidem quot
Thebarum portæ, vel diuitis ostia Nili.

Beneuolentiam scilicet ostentant pleriq; beneficẽtiam vix quisquã. Amici omnes tibi sunt, ita tamen ne oneri sis aut sumtui. Sed est talis

lis aliquis, qui liberali quocunque opus est in te cõferat manu: quantillum hoc ipsum est? Quod si omnes suas tibi facultates largiatur, nunquid ijs animam tuam ex inferno redimet? & hodie quidem nostri diuites pecunias suas & talia non in virtute præditos, sed in cupiditatum suarum ministros profundunt. Si vitæ tuæ pro me facias iacturam, ad meam nihil tamẽ addideris. Si honoris; non honor ille erit, sed ignominia. Verus enim honor est, Deo seruire. quidquid extra hoc est, malum ac turpe est. Dum ergo temporalia mihi das, vana das, inutilia, non raro etiam noxia. O quam multi parentes, dum opes accumulando liberis prodesse volunt, eosdem perdunt! Fit enim plerumque vt laboriose à maioribus, non citra sordes & peccatum, quæsita vel turpiter à filijs aut nepotibus profundantur, vel ab ijsdem ad alio-

Sinistra liberalitas.

aliorum detrimenta, proximi facultates exſugendo, vſurpentur. Sic illos luxus, hos auaritia ad infernum deducit: ipſis parentibus materiam ſuppeditantibus. Nocet ergo non raro amicus; at inimicus ſemper prodeſt, modo nos ipſi velimus. ſi male ille mihi voluerit; ego illi bene: certus iam ſum de Dei erga me beneuolentia. Si paruam ei condonem iniuriam; mihi omnia peccata mea remittentur. Si maledicenti benedicam, nihil mihi nocebunt ipſius maledictiones, benedictio vero mea id promerebitur, vt ad me quoque pertineat vox illa Christi in extremo iudicio ſuos ita vocaturi: *Venite benedicti Patris mei.* Vides ergo quomodo ſuis cogitationibus, verbis, factis, noſtra emendet nobiſque vtilia reddat inimicus. Non nego magnam rem ac penè ſupra hominis vires poſitam eſſe, inimicum diligere. Sed nobis illud tantum conſi-

Hoſti benefaciendum.

considerandum est, Dei hoc præceptum esse, non vero illud, quam difficile sit. Quod si terrenorum Principum mandata, qualiacumque illa sint, diligenter obseruamus: quanto magis cœlestis Monarchæ voluntatem exsequi debemus? qui si dicat; *Hoc volo*: tu quale hoc ipsum sit non multum laborabis, sed animum rebus omnibus relictis, ad obedientiam flectes. Et tamen hic quoque imbecillitatis nostræ rationem habet benignissimus Deus, medicos imitans, qui vt non crudas radices, flores, aut herbas, sed saccharo ac melle conditas, ac diligenter præparatas ægris porrigunt: sic ille huius ipsius præcepti asperitatem fructus, qui ex eius obseruatione prouenit, dulcedine mitigat ac lenit. Quamquam frustra ac sine caussa præcepti huius difficultatem accusamus. Age enim, si dux militum ab imperatore arci cuidam custodiendę cum

Dei iussu

cum præſidio eſſes impoſitus, cum mandato, vt nihil omnino contra hoſtem tranſeuntem moueas, nec ad pugnam vllo modo prolectari te ſinas. Iam ſi ille contumelioſis tibi verbis inſultet, & ignauiam exprobret; numquid tu illius iniurias ridebis potius quam vindicabis; etiamſi poſsis? tantum vt ne imperatoris mandato poſthabito, in militarem pecces diſciplinam, & grauiſsimam hoc ipſo pœnam incurras. Cur idem Deo non præſtemus? Chriſtum ſeruatorem noſtrum vide, ſuo exemplo nobis præeuntem. Percuſſus, non repercuſsit, ſed ſceleratum hominem erroris ſalutariter admonuit. non inſidiatus eſt inſidiantibus, non conuicia dixit conuiciantibus, ſed omnia tulit patientiſsime: & tamquam agnus innocens, ne tum quidem quum tonderetur atque adeò mactaretur, os ſuum aperuit, niſi pro inimicis deprecãdo. Idem

Chriſti exemplo.

fece-

fecerunt dilecti Deo homines. B. Bernardus fratres ab iniuriæ quæ ipsi illata fuerat vltione auocans, Non æquum esse clamauit, vt qui suam quotidie culpam condonari sibi petit, alienam vlciscatur. S. Stephanus inter vndique applu-entium lapidum aceruos iam iam deficiente voce Deum orat vt cædis suæ auctoribus ignoscat: eaque deprecatione Sauli, Paulo postea dicto, conuersionem ac salutem impetrat. Recte ergo idem Diuus Apostolus nos monet, ne iram pernoctare nobiscum sinamus: vt benedicamus persequentibus nos, & non maledicamus: vt esurientibus cibum, sitientibus potum præbeamus, &c. addens, eandem mensuram qua alijs mensi fuerimus, nobis redditum iri. S. Iacobus iudicium absque misericordia ei minatur, qui misericordia erga alios vti nolit. Memorabile est Constantini Magni exemplum: *Imp. Cõstantini benignitas.*

E

emplum: qui quum accepiſſet, ſtatuam ſuam à petulantiſſimis hominibus per ſummam contumeliam lapidibus impetitam ac contis & gladijs confoſſam, vultu ac reliquis ſuis membris manu pertractatis, Vbinam, inquit, illi ictus ſunt? vbi vulnera, quæ dicitis non ſtatuæ, ſed quaſi ipſi meo corpori illata! Equidem nulla ſentio: nec illam iniuriam mihi factam puto. Quo quid dici potuiſſet cordatius à ſapientiſſimo religioſiſſimoq́; Imperatore? Nimirum plerique non tam veritate quam opinione iniurias æſtimant ac metiúntur. Num tu putas iniuriam de qua tu ipſe vindictam non ſum ſeris, ita impunem auctori futuram? Certe ſi quis alicui in Principis aula violentas intulerit manus, non ſatis eſt ad expiandum ſcelus vt iniuria affectus afficienti ignoſcat, ſed ipſi quoque Principi cuius in eo leges grauiſsimè violatæ ſunt ſatisfieri

tisfieri oportet. Sic existima, non te sed Deum inprimis lædi: qui vindictam sibi permittendam clamat. Numquam ergo malum pro malo reddes, nisi vis vt malum illud in tuum ipsius recidat caput; sed malum bono vincere studebis: sicque incredibilem in animo tuo senties tranquillitatem: quum ira & vltionis studio nihil sit impetuosius ac turbulentius.

Hæc bonus ille vir equitatibus nobis prædicabat: quæ quidem aures meas celerrime præteruolauerunt. tantum abest vt in mentem descenderint. Post multos tamen annos eadem in memoriam reuocans ac ruminans, sic deprehendi, Præclarissimum vltionis genus esse, posse vlcisci nec vlcisci tamen: ipsam vero vindictam Iniustitiæ esse speciem: qua nihil coram Deo ac hominibus fœdius est & magis à natura hominis alienum. Vltionis studium igna-

Quænam optima vindicta.

ignauiæ est argumentum. Econtra

Fortior est qui se quam qui validis-
sima vincit
Mœnia, nec virtus altius ire potest.

Quæ (malum!) hæc est hominum audacia ac temeritas, vt quod Creatoris est, sibi vsurpent, & alieno pro suo vtantur? Si tibi persuasum est (& certe omnibus Christianis debet esse persuasum) omnia Dei, nihil vero, immò ne te ipsum quidem propriè tuum esse: quid tibi adimit ille qui te offendit? Omnis hic actio non tibi sed Deo competit: ad quem etiam solum vindicta pertinet. Caue tu litem alienam tuam facias. Quod si vel maximè tua quoque intersit, quid nobilius est ac generosius quam bene facere? Magnum sane quid præstiteris, si nihil male feceris; multo autem maius si male facienti benefeceris: ad quod nos diuinum præceptum obstringit. Malum pro malo reddere, Satani-

cum

cum est: malum pro bono plusquã Satanicum. Benefacienti benefacere, officiũ est hominis, nec ab ipsis quoq; bestijs alienum, quę non facilè nisi persequentes lædunt, & quendam etiam beneficiorum sensum ostendunt. At malefacienti benefacere, opus est supranaturale, scala diuina ad ipsam pertingens æternitatem, clauis cœli, & iucundissima animæ ac corporis pax & quies. Quid vindictæ studium? inquieta animi agitatio, morbus vehementissimus, stimulus assiduus mentem ipsam effodiens, mera insania. Vrget scrupulus in calceo pedem tuum, an propterea ferrum tibi in viscera condes? Ego cæcus esse velim, vt inuisus mihi luscus aut lippus fiat? Pudeat nos Christianos ab Ethnicis solo naturę lumine illustratis longe superari. Demonax à quodam percussus, amicis vt ad iudicem iret monentibus, *Non*, inquit, *ad*

indicem, ô amici, sed ad medicum. Pericles hominem tota die sibi conuiciatum sub noctem cum face domum deduci iussit. Rex quidã Franciæ iniuriam quæ sibi Aurelianensi tum Duci illata erat, vlcisci turpe putauit. Sexcenta his similia exempla proferri possent; sed non sunt huius loci. Potuissem sane ego si mens non læua fuisset, sancti illius viri oratione & melior & prudentior fieri: quam ille fere vsq; ad Gantilianum pagum persequutus est, quò sole iam ad occasum vergente peruenimus. Et illi quidem ad amicos, nos in publicum hospitium diuertimus.

CAPVT V.

Gusmanus in alio hospitio cum agasone non minus epipare quam in priori illo tractatur, Cauponum doli & malitia.

DIgreßis Religiosis illis, sodalem rogo quonam ipse se recepturus esset. Ait ille, Cauponem se nosse eo loco, hominem bonum, & bene tractandis hospitibus assuetum. Credebam dicenti, (& forte ipse ita putabat) sed haud multo post non in hospitiũ, sed quasi latronis speluncam deductum me sensi. In Charybdi antea hæseram; nunc ecce in ipsam Scyllam delabor. Quæ nobis ibi euenerint, paucis expediam. Habebat caupo asinum simul & equam Galitianam: quæ solutæ plerumque diu noctuque, ne scilicet aduenarum iumenta sola pabulum suum *Hospitiorum conditio.*

ſuum quæque ederent, oberrabāt. Nec licet vilioris animalis conditionem equa aſpernata fuerat (nam etiam ſcabioſi capita collimant) ſed è contubernio illo grauida, mulum pepererat. Eſt vero in Bætica lex inuiolabilis, quæ ſub grauiſsima pœna diuerſi generis animalium commiſtionem prohibet. quocirca vafer homo pullū illum quam fieri potuit, dies aliquot clam habuit ; tandem vero quum diutius latere non poſſe animaduerteret, mactauit. Nos hoſpitium ingreſsi, percunctamur an cibi aliquid haberet quod nobis in cœnam daret. Annuit ille toto capite, &, Non potuiſtis, inquit, commodius venire. Ego enim heri præpinguem vitulum mactaui, cuius exta cocta habeo, ex ijs, quod placebit vobis impertiturus. Exſultanti mihi ad hæc verba iamque animum in patinis habenti, omnis mora, dum menſa inſternitur,

Fraudes.

nitur, longa visa est. Mox apponuntur nobis bina oua, mox ipsa extra elixa, pauca tamen, credo, ne satur stomachus fraudem deprehenderet. Etsi vero & ipsa fames me inuitaret, & sodalis mei in tuburcinãdo strenuitas saliuam mihi moueret: nescio tamen quomodo ipse cibus mihi ad dentes obhęrescebat & nauseam dabat. nec mirum. Erat enim sodalis meus inter ipsas quasi feras educatus, & aspero victui assuetus: eoq; quodcumque arripuisset, in stomachum demittebat; mihi vero multo mellius educato palatum tam surdum non erat, vt lapidum ab insipido discernere non posset. Tum quidem mihi accidit, quod prouerbio dici solet, Ventrem scilicet citius quam oculos satiari posse. Quidquid hospes apportabat, parum satis ad meam vnius famem explendam arbitrabar. Rogo, an aliquid amplius haberet in cibum?

Ait, si placeat, cerebrum vitulinum cum ouis in butyro frixum se nobis daturum. Interea nescio quid edulij ex iisdem intestinis confecti apponit, ne missio maxillis nostris indicta videretur. In id cupidissime inuolat sodalis meus: gusto & ego, sed mox & sapore & odore offensus, abstineo, mihi interim & sapidiorem & copiosiorem pastum, sodali iam saturo, de cerebro promittens. Sed spes me fefellit. nam & sodalis meus non minus strenue ad [illegible]timum hoc ferculum quã ad [illegible]num manus extendit, vtraq; maxilla ita comedens vt diebus aliquot ne panem quidem gustasse videretur. Sed ad ouorum adspectum ita ridere cœpit, vt cibi plane obliuisceretur, me non leuiter indignante, vt quicquid in priori acciderat caupona ad fastidium ciendum exprobrari putarem. Vtrumque intentis oculis spectabat caupo, omnesque

Male cō- ij suspi- ntes.

nesque nostros gestus & verba diligenter obseruabat. Vt vero illũ vidit effusissimo risu pænè solutum, suspicans de fraude aliquid suboluisse (vt semper timoris ac suspicionis plena est mala conscientia) Quid vos, indignabundus inquit, mene an cibum meum ridetis? Iouem lapidem iuro & cerebrum hoc & quæ comedistis exta altilis esse vituli pridiè à me mactati. Hic agaso & ipse subiratus, Quid tibi cum meo risu? inquit. An vt cibo, ita risui quoque certus hic est modus & certum precium positum? Quin tu cuique quandocumque & quantum velit tam ridendi quam flendi arbitrium relinquis. Me quidem oua hæc aliorum admonuerunt, quæ sodalis hic meus hodie in quadam tribus milliaribus hinc distante caupona pransus est. Tum solito cum risu rem omnem narrat sedulo auscultanti & ad vnumquemque ferè

Culpant culpa digni.

articulum conclamanti: O scelestam mulierem, hospitum defraudatricem! In malam crucem tales homines. maledictus sit qui male suũ facit officiũ. Quæ quidẽ exsecratio nihil ad ipsum pertinuit, vt qui officium suum, furandi scilicet & fraudandi, quamoptime ac scientissime administraret. Inde multos sibi de vetulæ istius fraudibus cõquestos dicit, se vero suaque mirifice extollit, Est, inquiẽs, Deo gratia quod ab omni paupertate mea sordes eiusmodi procul absunt. Non ego felem pro lepore aut cuniculo, non morticina, non rancidas carnes, non fetentes pisces hospitibus appono. vnumquodque vendo pro eo quod est. Gloriari mihi licet, sic hospites à me tractari vt ab alijs ego tractari velim: eoque fit vt domus mea multo magis quam vlla alia in hoc tractu frequentetur. Nos vanitatem hominis pertæsi, locum cubandi

bandi monſtrari nobis petimus. ille manipulum ſtramineum in ſolum effundit, vilemq; tegetem, oblitus culcitam, nobis iniicit. Ita nos eam noctem, ſodalis quidem meus inter ronchos, ego inter varias cogitationes & ſuſpiria tranſegimus.

CAPVT VI.

Sequentis diei hiſtoria.

ALbeſcente iam cœlo, ſurgimus vterque. Ille quidem adiumenta ſua ſtatim viſit, à quibus multo facilius agnitus fuit quam ego, ſi forte tum ei occurriſſem, à matre mea fuiſſem agnitus. Adeo omnia membra, in primis facies pulicum & cimicum morſibus fęda erat ac puſtulis liuida, vt in tota cute vix locus nouo vulneri supereſſet. Et profecto niſi in cœna copioſiori mero (quod vnum in illo hoſpitio bonum fuerat) *Peregrinationis incommoda.*

rat) paullo largiuſcule inuitaſſem, ſomnum tota nocte oculis non vidiſſem. Curatis iumentis, ſodalis meus ientaculum apponi ſibi iubet. Affertur fruſtum carnis in iure eſculento: de quo ille tam auide comedere cœpit, vt mihi quoque licet adhuc ſomnolento ac nauſeanti, appetitum excitarit. Guſto ergo & ipſe aliquid; ſed mox abſtineo. Ita mihi dura & inſipida caro illa videbatur, vt ſtruthionis ſtomachum ei concoquendæ ac digerendæ non ſufficere putarem. Id non incommodum accidit ſodali meo, qui vix quidquam delicatius tota vita ſe comediſſe iurabat. Vide quid educationis faciat diſparitas. Quod mihi nautea erat, illi erat ambroſia. Ego, quæſo, inquam, hoſpes, quid hoc carnis eſt, quod dentes ita fugit, immò hebetat? Ille nimis recentem eſſe, at ſodalis meus, palatum mihi deſipere, ait. Tum muſſanti mihi in men-

Palatum ruſticanum.

mentem venit hesterna cauponis cum iuramento sine vlla necessitate facta asseueratio, exta quæ tum comedimus, pinguis esse vituli; statimque iniecta est suspicio, mala fide cauponem nobiscum agere. Rogo quantum deberem, simulque zonulam soluere incipio. Hic sodalis, quod debetur, inquit, ego pro vtroque soluam, quę verba ego cum plausu excipiens, paullulum tamen renitens, homini quantas possum ago gratias; ac simul de reliqua mea fortuna melius augurari ac sperare cœpi. Hęc cogitabam, insperato beneficio diuinitus tibi obiectū hominem, & quidem ex infima plebe, qui fortunam tuam subleuaret, & vecturam & cibum potumque gratis subministrando! Quid ciuiliores ac melius morati homines tibi facient? Ne vero ingratus viderer, dum ille rationes cum hospite putat, iumenta aquatum ago, in stabulum

Officiosi gratitudo.

bulum reduco, ſtrigili depecto, agaſonis denique munus non ſine meo ipſius riſu, ac frequenti poppyſmate obeo ſimul ac diſco. Reuerſus è ſtabulo, palliolum quod abiens abaco inieceram, requiro, per ludum ac iocum forte ab hoſpite aut ſodali abſconditum exiſtimans, rogo vt ne diutius me ludificetur, aut animi pendere ſinãt. Quum vterque iuraret, nihil ſe ſcire de pallio, dici non poteſt, quanta anxietas animum meũ inuaſerit. Angulos ergo omnes peruestigo, omnia excutio: ſed nullibi comparebat quod quærebam pallium. Tandem per totas ædes diſcurſans, in conclaue quoddam culinæ proximum deuenio, ibique multum cruorem in terram effuſum, & iuxta pellem expanſam video, cui pedes adhuc appendebãt, non procul inde caput muli iacebat, integrum plane, niſi quod cerebrum & lingua exemta erant.

Fraudes cauponariæ.

Suſpi-

Suſpicionem hinc meam non vanam fuiſſe deprehendens, ſodalem aduoco, eique cœnæ ac ientaculi noſtri reliquias oſtendo: En, inquiens, pinguem illum vitulum quem tantopere nobis laudauit hoſpes, & ipſe tantopere mihi à te laudatus. Hæc ſcilicet bona eſt illa tractatio, qua hoſpites ab illo excipi aiebas. Ille tamquam attonitus obmuteſcere, cruce ſe frontemque ſignare, ac quamcelerrime cum iumentis inde ſe proripere: in ſinum gaudere ego, hoc tam pulcro ſpectaculo ſuperiorem ipſius riſum plane ſuppreſſum ac egregie vindicatum. Et mulum quidem quem non quærebam, pallium quod quærebam, nondum inueneram. Cauponem ergo (nam præter illum & ſodalem meum nemo adfuerat) magna voce inclamo, ac pallium poſco. ille alapas mihi minatur, ac multa probra ingerit ac conuicia,

quæ

quæ quum ferre non possem, pedem abaco extortum in caput eius conijcio: quem tamen ille ictum deflexo capite declinauit; tum dicto citius stricto ense, quē in proximo cubiculo arripuerat, me insilit. Inclamo ego Dei hominumque auxilia. persequitur ille vociferantem. vbi verò duos satis grādes lapides è via silicibus strata me tollentem vidit, consistit, ac paulatim regreditur. Iam ad rumorem istum tota fere vicinia accurrerat, & inter alios ipse prætor cum suis satellitibus: cui quum narrassem quid mihi in caupona accidisset, ille statim inijci manum mihi iubet, reipsa tum experto, Tutius esse furari quam alium furti, occulti præsertim, accusare. Iubetur quoque ipse hospes caussam dicere: quam quum ille non satis expedire videretur, prætor seductum me accuratius interrogat. Hic ego in aurem ei insusur-

...s con-...lita ira-...ndia.

furto, mulum à nequissimo caupone occisum, & nobis pro cibo appositum: simul locum designo vbi exuuiæ ea ipsa hora adhuc iacerent. Quare & ipsum à satellitibus custodiri iubet: inde ædes ipsi peruestigant, ac præclaras illas exuuias vti monstrâram repertas omnium conspectui exponunt. Interrogatus à prætore caupo, non solum hanc sed plurimas alias nequitias & fraudes confessus est: vt vero de pallio meo aliquid confiteretur, subigi non potuit, quamuis ab eo surreptum nemo dubitaret. Post hæc ille in carcerē deductus fuit, nec scio ego an & quas pœnas postea dederit: ego vero cum sodali cœptum iter persequutus sum, vterque molestiarum ac tædij plenus.

CAPVT

CAPVT VII.

De hominum Felicitate & Infelicitate Apologus. Gusmani, dum reliquum viæ conficit, aduersus casus.

Mala bonimista. NOn AEgyptij modo, sed & pleræque gentes Fortunam pro Dea habuerunt & coluerunt, eique vim maximam omnibus in rebus esse persuasum habuerũt, tam prospera quam aduersa eidem accepta referentes, eiusque numen quotidianis sacrificijs propitiantes. Miseri videlicet homines veri Dei cognitione destituti erant, tam bona quam mala ex mero suo arbitrio dispensantis, omniaque liberrime moderantis ac gubernantis. Facit idem quod caupones solent. Vt enim hi bonum vinum villo, ac sæpè etiam vappa; ita ille bona malis diluit: vt non immerito ille apud Comicum

que-

queratur: *O Fors fortuna, vt numquã perpetuo es bona!* Illud vero omniũ eſt miſerabiliſsimum, quod felicitas omnis momentanea; calamitates vero continuæ ſunt, & quaſi concatenatę. Vulgatum illud eſt ac nimis quam verum: *Nulla calamitas ſola.* Id ſanè ego in meipſo expertus ſum. Heri fortunam meam deploraueram, eò quod de via laſſus eſſem, ac duo pullaſtri ouorum perſona induti in ventrem mihi correpſiſſent. Atrocius multo viſum, quod & exta & carnes & ipſum cerebrum muli eſitaſſem: longe vero atrociſsimum, quod pallio neſcio quibus præſtigijs ſurrepto eſſem ſpoliatus. Quin illud in futurum mihi aſsidue occini videbatur: *Hactenus in te folia ceciderunt, mox arbores cadent.* Ah, quam ſiniſtro augurio patrio limine pedem extuli! cui Mandrabuli more, vt eſt in prouerbio, res omnes poſtea ſucceſſerunt, in deterius

terius indies prolapsę. Vere B. Iob vitam nostram Militiæ comparat, periculis, laboribus & ærumnis plenæ. Sed assem para, & de Felicitate hominis Apologum audi.

Apologus de Felicitate & Infelicitate. Creatis omnibus rebus Iupiter homines præesse, eis vero deam Felicitatem assistere iussit: quam illi & diuinis hymnis celebrabant, & assiduis sacrificijs venerabantur, ipsum Iouem interea obliti. Hanc contumeliam indigne ferēs Iupiter, deos in consilium vocat, & summam accusat hominum ingratitudinem, vt qui se rerum omnium creatore, post habito, solam Felicitatem respicerent, colerent atque adorarent, quærit, quid de tam atroci hominum crimine statuendum sit. Ex ijs nonnulli quibus animus mollior, Iouem monebant, è fragili admodum materia factos esse homines, eoq́; venia dignos, si forte secus aliquid commisissent. Suadere ergo vt leui aliqua

aliqua pœna afficiantur, & erroris admoneantur: certa spe, futurum vt resipiscant, & cautius in posterum agant. Oggerebat se statim Momus, & non rogatus, nescio quid atrox in homines dicere volebat: sed à Ioue quod alijs prioré dicendi locum præripere tentaret increpitus, tum quidem conticuit. Erant nihilominus è reliquorum deorum numero non pauci, qui idem cum Momo sentiebāt, Mortales scilicet eò quod infinitum bonum, rerum omnium præpotentem Iouem, offendissent, infinita quoq; pœna dignos, eoq́ue radicitus exstirpandos, nec vllos deinde amplius efformandos esse, vt quibus ipsij dij facile carere possent. Alij ex omni numero pessimos tantum eradicandos, in eorum vero locum bonos creandos. Post hos sententiā rogatus Apollo, Iouem sic alloquutus fertur: Iam iusta est, ô supreme Rex, tua contra

tra homines indignatio, tam iusta querimonia, vt citra omnem crudelitatis culpam aut probrum, omni pœnarum genere iniquitatem eorum ac illatam summę Maiestati contumeliam vlcisci queas. Illud tamen interim memineris, si ad internecionē vniuersum hominū deleas genus, omnem quem in creandis ex nihilo rebus adhibuisti operam & laborem tibi periturum. Sed & ad summam ac supremo deorum dignam perfectionē aliquid tibi deesse videbitur, si hoc quod creasti destruxeris. quasi scilicet mentem tuam eius quod fecisti subijsset pœnitentia. Multo minus æquum est, vt hominum genus deleas simul, ac de nouo reficias; ne aberrasse & in ipso opere peccasse videatur manus tua. Si enim nouos homines velis refingere, aut liberum eis tribues arbitrium, aut nullum. Si liberū; idem hi facient quod illi; nullum iam

non homines erunt, sed stipites: quin etiam vniuersa hæc Mundi machina, quanta quanta est, frustra à te creata videbitur. Quare ita censeo, hanc mortalium culpā non excidio vindicandam, sed opportuno remedio corrigendam esse. Tu quidem, ô supreme Iupiter, mortalibus velut assestricem deam Felicitatem adiunxisti, vt inde benignitatem tuam agnoscerent ac meritis laudibus solam deprædicarent. quia vero tā præclaro dono abusi, supremæ maiestatis obliuisci nō erubescunt, suaserim vt Felicitati in cœlum ad nos redire iussæ, Infelicitatem succenturies; quò & miserias suas & potētiam ac zelum tuum mortales agnoscant & experiantur. Licebit tibi tum nihilominus quibus libebit dona tua distribuere, ita tamen vt inter bonos ac malos discrimen seruetur, & meritorum cuiusque habeatur ratio.

Hæc quum dixiſſet Apollo, Momus acerbiſsimam orationem exorſus, hominum peruerſitatem ac malitiam verè quidem, ita tamen exagitauit, vt ſuam ipſe malitiam atque inuidiam erga hominum genus proderet. Tanto facilius ergo omnes, exploſo Momo, in Apollinis iuere ſententiam: cuius exſequutionem Iupiter Mercurio demandauit. qui ad homines profectus, vbi nihil aliud eos agere quam edendo, bibendo, ludendo genio indulgere, ac Felicitati litare vidit; ſeductam eam quid à Ioue & ceteris dijs decretum eſſet admonuit: ſimulque non repugnantem è terris ſecum abducere cœpit. Id conſpicati homines, Mercurio acerrime reſtiterunt, & arreptis iam fugientis veſtibus, Felicitatem ſecum retinere conati ſunt, quam contentionem vt dirimeret Iupiter, Felicitatem veſtibus extrahit, Infelicitatem vero momen-

momento citius eiſdem immiſit: quo decepti homines Infelicitatem pro Felicitate arripuerunt, pernicioſo quidem dulci tamen opinionis errore, qui ad noſtrum quoque ſæculum promanauit. Quam multi enim hodieq́ue ſunt, qui quum ipſam Felicitatem poſſidere ſe putent, nihil tamen aliud quam ornatum eius quemdam ac ſpeciem poſsident? quæ nihil aliud eſt quam labor, ærumna, & ipſa infelicitas. Quid enim? ſi videas homines in ſolemni aliquo feſto opipare edentes, potantes, ſaltantes, laſciuientes: Felices illos forte dices, ſed falſo. Mox enim vnum dicentem audies: Oh quam ſudore totus madeo! quam laſſus ſum! quantos capitis, quantos ſtomachi dolores ſentio! quam turpiter pecuniam meam luxu, luſu perdidi? quantam perniciem amores mihi rebuſq́ue meis attulerunt! Tum, tum demum re ipſa deprehendi-

mus, vmbram tantum Felicitatis penes nos esse, ipsa verò infelicitatem omnibus rebus interuenire. Extrema gaudij luctus occupat, risum fletus excipit, voluptati dolor succedit. Quid tu illi summos honores gratularis, quibus se aliosque mox ibit perditum? Quid diuitijs gaudes, quarum augendarum cupiditate & amittendarum metu continuo angeris? Tune felicitatem in particula splendentis luti ponis? sed ita est. Res non suo pondere, sed hominum opinione æstimantur. quæ mirum est quam sit erroris ac dementiæ plena. Hæc vero eò tibi dicta puta, ne Felicitatem in terra, sed in cœlo quæras.

Imaginamur facilia. Ad me vt redeam, Deus bone, quam miseris modis in hac prima mea expeditione deceptum sensi! Oculis meis obuersabantur veris amœnitas, viriditas pratorum, arborum opacitas. occurrebant vix

viæ planæ ac latæ; ſed non illud fore vt illas emetiendo ad laſsitudinem redigerer. Opportuna paſsim ac munditiei plena diuerſoria, commodasque in eis refectiones mihi imaginabar; ſed immane & ex ſolius cauponis arbitrio ponendum precium, tum admirabiles cauponum fraudes atque etiam ſcelera ignorabam. Grata erat oculis montium ac vallium varietas, tum ciuitatum, pagorum, villarum frequentia; ſed multo gratior futura, ſi vt mihi perſuaſeram, omnibus in locis præſto mihi fuiſſet mater mea, quæ delicias mihi faceret, ancilla quæ cœnam prępararet, inde veſtibus ſpoliatum, in lectum diligenter apparatum componeret, & experrectum mane ad ientaculum deduceret. Vah, cogitabam, quam vaſtus eſt hic Mundus! cuius figuram videram in tabula depictam, plenam illam totamque continu-

am, sed ab ipso archetypo multum discrepantem. Videram ibi regionum ac ciuitatum nomina; sed errores meos ac labores non videram. Quantum in vita mali esset, nondum sciebam. Vt insipientum est dicere, *Non putaram*: ita sapientum, futura prospicere, eorumq; necessitatibus, quantum fieri potest, matura parare remedia. Sapiebam ego vt puer: agebam vt puer. O quam multas chimæras, hospitio sine pallio, sed multis cum ludibrijs egressus, animo mihi ac cogitatione fingebam! Quam misere tum ad ollas AEgyptiacas respiciebam! Sed profecto, *Tum demum nostra homines intelligimus bona, quum quæ in potestate habuimus, ea amisimus.* Inter has cogitationes dum iter prosequimur, Agasonis sodalis mei taciturnitatem demirabar: qui vt ante Democriti, ita nunc Heracliti personam repræsentabat. Ne mihi quidem res meæ

Improuida homi-nũ mens.

satis

ſatis placebant; illud tamen cogi-tans, Animum bonum in re mala dimidium eſſe mali, quantum po-teram vultũ ad hilaritatẽ fingebã. Quamuis autem multa & in ho-ſpitis noſtri verſutiam & in no-ſtram ſimplicitatem iocarer, vt os tamen ad riſum diduceret homi-nem adigere non potui. Sic fit vt qui aliena mala rident, ſua deplo-rent. Interim duo illi Religioſi, qui in via rurſus ſe nobis adiunxe-rant, horas ſuas Canonicas recita-bant.

Dum ita ſuis quisque velut in-uolutus cogitationibus iter faci-mus, ecce à tergo lictores nos in-ſequentes; qui quamprimum me conſpexerunt, magna voce vt cõ-ſiſterem clamant. Mox circumſi-ſtunt, timore pallidum ex iumen-to detrahunt, veſtes meas omnes & ſarcinulas excutiũt, reſtim quo-que, niſi furtum ſtatim profer-rem, minantur. Ego excuſare me quan-

Iuſtitia miniſtri quales.

quantum poterã, vim deprecari, furtum à me factum negare; illi contra multo acerbius in me & Agosonem tamquam receptatorem inuehi, cubitis vtrumq; exponere, pugnis obtundere: donec vnus eorum manum meam contemplatus, manus à me abstinere iussit, clamans, Me non esse quem quærerent. illum enim sinistræ manus carere pollice, qui mihi esset integer. tum in sarcinulis nostris nihil reperiri eius quod is quem quærerent puer domino suo surripuisse argueretur. Sic nequissimi illi & immisericordes homines, quum lumbos pænè mihi fregissent, metu exanimatum tandem missum faciunt, vt ignoscamus petunt, aliamque viam insistunt, paucos quos apud agasonem dum sarcinulas excutiunt, denarios secum asportantes. O sancta iustitia, quã turpiter nonnunquam administraris! En ad comprehendendum

furun-

furunculum misi, furantur ipsi: & qui vim à miseris prohibere debebant vim ipsi faciunt ac latrocinantur, abeuntes illud tantum dicunt: Ignoscite amici. alij visi nobis estis. O intempestiuam deprecationem! Inprimis agaso ille sodalis meus iniuriam hanc indignissime ferebat. Sed quid faceret? Optimum erat vt ferret quod mutare non poterat. Me vero affligebat iactura pallij: de qua tamen mihi aliquo modo gratulabar, illud cogitans, si eo coopertum me offendissent, non tam cito è signo quod sibi datum aiebant truncati pollicis innocentiam meã deprehensuros, sed procul dubio statim secum abducturos fuisse. Frustra enim ab hoc hominum genere vllam modestiam aut æquitatem expectes.

CAPVT VII.

Lazarillus adolescentia suæ narrat historiam.

His turbis liberati, in via progredimur. Venerat ad nos interea, dum à scelestis detinemur lictoribus, homo è cuius vultu nescio quæ festiua elucebat hilaritas, rogat, vt comitem nobis esse pateremur, vt qui eodem quò nos tenderet, annuit agaso, homo perfacilis; & pauxillum mercedis pactus, vnum ex iumentis adhuc vacuum conscendere iubet. Ille tristes nos & pisce magis mutos affatus, scio, inquit, quid vobis acciderit. Et profecto vicem vestram doleo. Suadeo tamen vt quidquid eius est quod sine vlla culpa vestra passi estis, obliuiscamini.

Lazarilli historia.

mini. Id optimum, mihi credite, malo huic fuerit remedium. Tum ad me conuersus, Quia te, ait, ô adolescens, è matris domo ac quasi sinu adhuc recentem video, non dubito quin primi hi fortunæ insultus graues admodum tibi accidant & molestissimi. Sed, meo exemplo, obfirma animum, & ad grauiora quoque præpara. Ego si narrare occœpero quibus à puero iactatus sum casibus, nescio fletu magis an risu fortunam meam prosequuturi sitis. De me quidem illud verissime dici potest:

Multa tulit fecitq́, puer: sudauit & alsit.

Sed nisi graue vobis est audire, narrabo paucis adolescentiæ meæ historiam. Sic enim forte & tristitiæ vestræ & viæ tædium melius fallemus. Quum gratissimum id nobis fore ostendissemus, ego etiam precibus, vt id faceret, contenderem, ille sic infit.

N Iterū glorio- suli,

Lazaro de Tormes mihi nomen est, quamuis pleriq; vt olim puerum, ita nunc etiam *Lazarillum* appellitent: non inuitum sane. diminutiua quippe gratiosa sunt. Pater mihi fuit Thomas Gonzales; mater Antonia, vterque è pago Teiara, qui nō procul à Complutо distat, oriundus. De Tormes gentilitium nomen, more nostrorum Nobilium, mihi ipse feci. Pater namque molatrinam habuit, non propriam illam quidē, sed conductitiam, Tormi fluuio adsitam, in qua quidem ego in lucem sum editus: atque inde non sine caussa fluuij illius celebritate natales meos illustrandi occasionem sumsi. Vix sextum ætatis annum attigeram, quum ecce pater meus, vicinorum inuidiâ, in crimen vocatur, quasi nimis liberali manu è farina demensum suum soleret desumere. Quod quum minus idonee purgasset, quin etiam

iam, etsi inuitus admodum, ipso suo ore esset confessus, ad remos damnatus, eisque annnmeratus est de quibus dicitur: *Beati qui propter iustitiam patiuntur*: tanto felicior, quod non multo post in celeberrimo illo ad Naupactum prœlio, quo Turcarum vires maximè fuerunt attritę, inuisum spiritum reddidit. Marito orbata mater mea Complutum statim migrauit, ibique conducta casula, lauando, coquendo, & similia seruitia præstando Scholasticis, vitam tolerauit. Domunculam nostram ventitabat inter alios æthiops, ipso diabolo, credo (puer enim vidi) nigrior, magnatis cuiusdam equiso seu stabularius. Is quam familiaris matri meæ fuerit, inde colligi potest, quod anno vertente fraterculus mihi vterinus, sed colore plane dispar, natus fuerit. Et eam familiaritatem non amor aut vlla alia res

conciliauerat, quam quod is herilem penum & quæcunq; alia surripere poterat, clam ad nos congerebat. Me quidem initio quum ad ipsius conspectum non fugerem tantum, sed tremerem quoque, mellitis crustulis aliisque puerilibus munusculis ita deliniuerat ac mansuefecerat, vt vltro ei occurrerem, & non secus ac patri meo abblandirer. Nec noctu tātum, sed interdiu etiam ad nos comeabat, oua recentia hero suo (id enim quid apud nos faceret quærentibus respondebat) præstinaturus: quum matri meæ nulla esset gallina. Memini quū vnà cum nigello illo meo fraterculo foco assiderem, eum ex improuiso interuenire, & filiolo illi suo delicias facere: qui fœdo aspectu, credo, territus, heiulare, & quantum poterat, in matris sinum refugere cœpit, mormolycum adesse clamitans. Tum bonus ille si-

bi ipse à risu temperare non potuit, nihilque aliud eloquutus, quam, O te spurium! domo sese proripuit. Puer quidem tum etiam: nihilominus quæ vidi atque audiui, sic penitus in animum infigebam, vt hodieque animo ac sensibus meis tamquam præsentia obuersentur, quin etiam tum illud cogitabam: Hem, quā multi eos fugiunt, quos, licet ignotos, cognatione proxima attingunt! Sed ad vitricum meum redeo. Is quum post accuratam inuestigationē, præter alia domestica furta, & pabuli partem iumentis subduxisse, & stabularia instrumenta atque vtensilia, adeoque ipsas soleas equorum vngulis detractas vendidisse, eamque pecuniam ad matrem meam adportasse deprehensus esset, virgis quidem cæsus, sub pœna capitis à matris meæ domo & consuetudine abstinere iussus est; nec minus matri meæ omni

omni Laidæ (id enim æthiopi nomen erat) etiam colloquio interdictum. Hoc deficiente commeatu, mater mea cauponi cuidam operam suam addixit: sicque in eius familia vtrumque, me scilicet & meum illum fraterculum, maximos inter labores atque ærumnas educauit.

Cæcorũ mendicantium artes & ingenia.

Eram ego tum id ætatis, vt hospitibus vino, pane, aliisque apportandis inseruire possem. Diuerterat ad nos aliquando inter alius Cæcus quidam, ostiatim cibum quærens: qui quum non vidisset quidem, sed (vt hoc est hominum genus in noscitandis pæne omnibus rebus supra quam credi potest sagax) animaduertisset me valde ad quæuis imperia alacrem & impigrum, matrē meam rogauit vt comitem me sibi dare non dedignaretur: filij loco habiturum me pollicitus. Non abnuit mater mea: sed quam vl-

tro ambire debebat conditionem oblatam sibi gaudens, bono illi Cæco me de manu in manum tradidit, sollicite admodum, tamquã orphanum, cuius pater pro Christiana religione vltimum spiritũ profudisset, commendatum. Sic post diem vnum & alterum non sine lacrymis à matre dimissus, iter ingredior, hero meo ducatum præstans. Dum pontem trãsimus, taurum video lapideum, conspicuo loco collocatum. rogo quid statua hæc sibi velit. ait ille: Aures adhibe tauri huius ori, mi Lazarille, nescio quem mirabilem audies sonitum. Id dum ego puerili simplicitate facio, deterrimus senex caput meum tauri illius capiti ita allidit, vt pæne diruptum mihi fuerit, insuperque illudens, ait: Bliteus sane adhuc es, mi Lazarille, multaque mihi adhuc docendus. An tu nescis, Cæci famulum ipso diabolo oportere esse

esse versutiorē? Indignabar quidem ego, lacrymis quàm risui propior. Repente tamen velut è puerilitate experrectus, cogitationes altius iaciebam, boni senis apud me laudans sollertiam, vt qui omni alia ope destitutum, omnibus modis prudentiorem me reddere satageret. Hac mea patientia ille victus, artes suas omnes quibus & facilem & opiparum sibi victū parabat, diligenter mihi commōstrauit: & quamuis ipse cæcus esset, Argo oculatiorem me fecit. Sed vt qualis ille fuerit intelligatis, sic habete. Equidem quotiescunque temporis illius memoriā recordor, sic arbitror, post homines natos neminem ex tota Adami prosapia extitisse magis graphicum ac versipellem mortalē. Quid de tinnula eius voce dicam? qua humiliter prætereuntium opem implorans, ipsos cælites deuocare

Patientia omnia vincit.

uocare potis videbatur. Plus centum memoriter tenebat precatiunculas, quas nullibi os detorquens, non oculis conniuens, vt alij cæci solent, tanta cum grauitate ac deuotione recitabat, vt meram sanctitatem spirare videretur. Iam technas innumeras sciebat ad extorquendam etiam auarissimis eleemosynam. Vulgo enim credebatur certas precatiunculas variis morbis curandis efficaces tenere, muliercularum inprimis, sterilitate scilicet, aut partus difficultate laborantium, nec non male nuptarum, aut quæ à maritis parum diligerétur, & quæ alia id genus sunt nuga méta. Prægnantibus masculum an femellá pariture essent prædicere solebat. quin etiam communibus morbis, vt capitis, iliorum, dentium doloribus, tamquam alter Galenus, ex tempore remedia dictabat: vt vox eius pro oraculo haberetur, à mu-

Eleemosyne quibus modis paretur.

mulieribus præsertim, quarum credulitas circumforaneis plerũque quæstuosa esse solet. Quibus artibus mirum est quantum peculium breui tempore collegerit, nec tamen inde auaritia eius minuebatur, sed indies magis magisque crescebat: & in rerum omniũ quas domum iamdiu congesserat abundantia, mendicitas tamen ei placebat. Me quidem homo sordidissimus fame pęnè perdiderat. Sed nec vestes, nec calceos, aut alia necessaria præbebat, vt nisi vigilantia ac solertia mea mihi subuenisset, iam dudum Orciuo thesauro fuissem adscriptus. Sed nisi graue est, audite, quæso, quibus artibus astutissimum senem deluserim, & Cretensis cum Cretensi Cretizarim.

Fraus fraude luditur. Pecuniam omnem in zonulam condebat, quæ corpori eius contigua, facile omnes eludebat insidias. Panem aliaque esculenta pe-

ræ

ræ iniiciebat: quam sera pensili tã diligẽter muniebat, vt nec ipsa Lauerna vel micam panis ei suffurari posset. Sic ergo omnis meus victus atque annona in rancidis illis fragmentis, quæ & ipsa parce mihi largiebatur, consistebat. Et peræ quidem ille tamquã fidissimo custodi confisus, securus agebat: ego vero arrepto cultro, aliud interim agere me simulans, apertis suturis, culei intestina in lucem protrahebam, & quodcunque placuerat, in cibum mihi seruabam: statimque fissuram quã fieri poterat solertissime rursus consuebam. Quę venter meus non ceperat, vendebam, & quidem meris obulis præsentariis. vnde mihi deinde vberrima feneris materia suppetebat, quamprimũ namque aliquis accesserat, stipem porrecturus, manum ego subiiciebam vicariam, & obulo [illegible] occultum tenebam, in senis manũ

coniecto, numum mira agilitate ori insertum mihi seruabam, ille vbi tactu non numum, sed obulum deprehendisset, caput quatiens, Nescio, inquit, quæ interea dũ tu mecum es, fortunæ meæ facta sit commutatio. Quid enim (malum!) hoc esse dicam, quod quum plerique omnes ante, præsertim qui preculas meas paciscuntur, numos dare soliti sint, iã obulis mecum transigant? Respondenti mihi, caussam me nescire, nisi quod charitatẽ indies refrigescere ipse videam atq; experiar, Ergo, ait, fas est, me quoq; in conductarum precularum penso minus esse liberalem: simulq; monet, vt quamprimũ illi qui ob eam rem stipem dederant, tam procul discessisset vt vox eos falleret, vellicato centunculo signum darem. Sic ille in medio sæpe abruptis quas exorsus erat preculis, nouas aliorũ prçtereuntium liberalitates eodẽ stipendio

dio poscebat. Dilapsa iam turba, cibi aliquantulũ è pera depromti degustabat; idq; mox boni vini haustu diluebat, lagena, quã assidue secum circumferebat ad latus adstituta. cuius clanculũ arreptæ dulcissimo liquore & ego guttur meũ semel atq; iterum proluebã. Hanc meam sollertiam quum ille ex haustuum numero quorum lagenam capacem esse nôrat, deprehendisset, lagenã quidem ita ponebat, vt ansam altera mauu semper teneret. Sed profecto nullius magnetis in attrahendo ferro tanta vis est, quanta faucium mearũ erat in prolectãdo dulcissimo illo liquore. Calamum namq; oblongum mihi comparauerã, per quẽ orificio occulte insertum, quantũ poteram vini attrahebam; sicque nescientis atq; inuiti felicitate vnà fruebar: quæ tamen parũ diuturna mihi fuit. Ille enim proculdubio fraudẽ subodoratus, lageuã intra

Puerilis ingluuies.

in trapedes diuaricatos, vti fedem ipsi mos erat, posuit, neq; vsquam manum ab orificio eius amouit. Tum ego vindemiam mihi interclusam ægre ferens, alium astum excogito. Terebello lagenæ fundum perforo, foramen vero aptato ad id obelisco ligneolo obturo: quo rursus, dum ille lagenam ori admouet, extracto, liquorem placide sine vllo strepitu destillantem vasculo excipio, dein plenis faucibus haurio. quum vero aliquando vasculum ad manum non esset, & vehementer ego sitirem, dum ille bibit, os lagenę suppono, eo destillantem humorem excepturus. id quum nequissimus homo animaduertisset, quantis poterat viribus lagenam supino mihi in faciem impingit: qui ictus quidem tam vehemens fuit ac crudelis, vt etiam dentibus aliquot excussis, tota mihi facies miserum in modum lacerata fuerit. Tum heiu-

heiulantem affatus, Quid tu, inquit, mi fili, bibenti mihi os tuum non rogatus commodas? quod tam propinquum lagenæ fuisse ignorabam, nunc quoniam fortuitus hic ictus in te incidit, boni cósulas oportet. simul vulnera fractæ lagenæ testis facta, agresti manu pertrectat, & vini reliquijs abluit, O te mirum mortalem aliquando futurum, inquiens, Lazarille! Ecce qui percussit te Bacchus idem nûc sanat. Credo equidem fortunam tuam lagenæ inclusam vel ex hedera pendere, ac vini beneficio magnos ad honores te olim emersurum. quod quidem sarcastico tum ioco dictum, postea verum aliquo modo euentus comprobauit, vt in fine audietis. Ex eo quidem ille mihi plane diffidere cœpit: ego vero tanta vindictæ cupiditate exarsi, vt vitam omnem acerbam mihi futuram putarim si non quantum possem ma-

li ei facerem. Ante omnia, quod vnum poteram, per vias publicas quà cœnum maximè erat profundum, tolutim velut badizantem non ducebam, sed trahebam; murmuranti vero iurabam, meliorem viam nullibi me videre. sed quum & hoc & multa alia à me data opera fieri homo versutissimus facilè intelligeret, præeunti mihi crines aures que ita vellicabat, vt occipitium mihi quasi caluum fecerit. deinde vbi ante templi alicuius fores, aut in porticu consedissemus, iam hoc iam illud caussans, & manibus & calcibus ita in me incurrebat, vt furenti plane similis videretur. Quod si quis forte prętereuntium mei misertus, increpitum vt modestius ageret admoneret; statim ille, scio, inquit, quid vos decipiat. puerum hunc meum tenerum adhuc & simplicem putatis: quo tamen nihil est nequius. tum singulatim quæ feceram quæ non

Vexatio dat intellectum.

non feceram, in primis illud de lagena enarrans, plerosque risu, alios etiam indignatione replebat, tantam astutiam in tantulam ætatem cadere demirantes, ita vt abeuntes bonum senem, vti putabant, hortarentur quoque, probè me depectere nō cessaret sicque ad bonam frugem reducere studeret, id Deo & hominibus gratum fore, quos ego quibus ominib⁹ prosequutus sim, facile quiuis cogitabit. Sed vt hominis illius ingenium ac mores melius noscatis (cuius similes multos eundem victū hodie exercere certum mihi est) audite paucis vnum & alterum facinus, inter me & illum, sed infeliciorıbus semper meis auspicijs, gestum.

Compluto digressus, Toletanū regnum petebat, quod ibi homines opulentiores essent, ijdem tamen in dandis eleemosynis minus liberales. Aiebat vero, à diuite

Paupertas beneficētia expers.

 præ-

præduro aliquid aliquando extorqueri posse;à nudo & inope nihil. Ibi percursatis pagis aliquot, ijs presertim vbi spes largioris erat quæsticuli, tandem Almoroxam peruenimus,vini prouentu vicum celebrem.Iam vuæ maturæ erant; quarum vnam,eamque satis grandem quum colonus aliquis hero meo dedisset, ille siue vt me quem totum illum & præteritos aliquot dies plagis obtuderat, aliquo modo placaret, vel quod eiusmodi res pera includi ac gestari non posset, Huc adesdum,inquit,mi Lazarille. vuam hanc vnà tuburcinemur,sed ea conditione vt quisque singulas decerpamus baccas, nec alter alteri vel vnam proripiat. Accepta conditione, lætus incipientem sequor: sed quum nequam illum oblitum conditionis binas simul capientem baccas viderem, non minus impigre & ipse binas immò ternas decerpo. Hoc modo

vua

vua dicto fere citius in ventres nostros condita, ille vti sedebat, vacuum racemum diu aliquantulum manu tenens & pedunculo motitans, rotato capite, Iouem lapidem, ait, iurare ego ausim, Lazarille, te conditioni nequaquam stetisse, nec singulas, sed binas, ternas, atque adeo quaternas baccas simul decerpsisse. Leuiter factum nego; simul vnde id conijceret rogo. Ille, Ex eo, inquit, quod meipsum, quum binas decerperem baccas conditionis non admonuisti, sed procul dubio exemplum meum strenue & ipse imitatus, immò supergressus es. Et factum quidem tum ego meum vt puer risi: postea verò quotiescunque id in mentem venerat, pessimi hominis astutiam demiratus sum. Infinita alia strategemata inter me & illum vltro citroque vsurpata silentio prætereo, vnum tantum addam, & quidē illud ipsum quod

diuortio inter nos occaſionẽ præbuit. Eſcalonæ quum eſſemus,ac peram probe haberemus fartam, Cæcus ille farcimen præpingue craticulæ imponere, ac prunis quantum ſatis eſſet, aſſare,deſtillantem verò pinguedinem pane excipere me iubet. quem dum ſuauiter comedit, depromtis aliquot numulis,ad vini afferendum hauſtum me mittit.Interim ego in angulo quodam rapum video oblongum, & penitus flaccidum: quod quum mihi farciminis ſpeciem, quæ miram promulſidem faucibus meis iam excitauerat,repræſentaſſet,ſtatim diabolus (huius enim vnius ſuggeſtioni plerique flagitia ſua imputant) occaſionem heri mei decipiendi & ſatiandæ ingluuiei mihi commonſtrauit. Id ergo ocyus arreptum, in detracti farciminis locum ſuppono; ſicque abiens, prædam meam omnem in ventrem congero.

Fraus iocularis.

ro. Rediens, Cæcum meum video putatitium farcimen in craticula diligenter versantem, medium denique inter duo panis frusta pressantem: & ego quidem, tacitus tamen, risum continere non poteram, plane, vt est in prouerbio, Sardonium. Senex enim vbi nullum omninò succum sequi sensit, dentibus gustus fecit experimentum: sed frequenti morsu vexatum rapum exspuens, me furibundus inclamat, & fraudem sibi factam quiritatur. Ego, Me infelicem! inquam: qui eius insimulor criminis quo ipsa me absoluit absentia. Me enim ecce, iam iam modo è caupona venientem. an ergo absens conturbare aliquid potui? Ille sermonem meum atque etiam peierationes quibus caput meum deuouebam, nihil moratus, Iam sciam, inquit, furti huius tam ingeniosi auctorem. simulque arreptum me ambabus constringit

manibus tum fœdis suis, nullo tamen farciminis succo vnctis digitis oris velut cardines mihi effringit, & nasum suum acutissimum in ipsum intrudit rictum, olfactu scilicet amissum farcimen vestigaturus. vnde stomacho meo tanta oborta fuit nausea, vt ob festinationem male mansum farcimen & quidquid in eius fundo erat eiecerit, mihi quidem ille prælongo illo suo naso, tamquam harpagone, ex ipso stomacho inuisum cibum extraxisse videbatur. Sic ille me vomitu iam ante debilem pugnis ita contudit & vnguibus lacerauit, vt nisi domestici accurrentes me manibus eius eripuissent, procul dubio dies ille supremus mihi futurus fuerit. Tum ille quid rei esset sciscitantibus, & hanc & omnes alias meas historias tam scite, tam lepide enarrauit, vt nemo esset quin me multo grauiores pœnas meritum putaret ac

Vindicata.

ac palam diceret: etsi plerique omnes risu pæne dirumperentur. Ego & infelicitatem meam deflebam, & ignauiam damnabam, quod sceleſtiſsimo illi naſum, dum ſtomachi mei fundum rimatur, non præmorſiſſem. Nam & concoctu forte futurus erat facilior quam farcimen illud: & naſo nullibi reperto, factum negare poteram. Poſtquam ſpectatorum riſus, meus fletus & Cæci ira paulum detepuit, hoſpitum opera in gratiam redimus: qui dum vulneratam ac liuidam faciem vino, quod attuleram mihi abluunt, facetus ille, Meus hic puer, inquit, vno menſe plus vini lauando abſumit, quam totum ego annum, bibendo. Vino certe, Lazarille, tu plus debes quam patri tuo. Hic enim poſt Deum, vitam tibi ſemel largitus eſt, quam vinum ſæpius tibi reſtaurauit. Te quidem præ omnibus alijs rebus vinum, puto,

Vaticinia improuiſa.

olim beabit. Hæc ego aliaque multa quum iam menses aliquot Spartana fortitudine tolerassem, tandem dispicere cœpi quibus modis non inultus ab ipso possem discedere. Quum imber continuus toto die defluxisset, & riuuli per plateas passim decurrentes nobis, ostiatim eleemosynam quærentibus, obsisterent: Cæcus, Vides, inquit, Lazarille & pluuias pertinaces, & plateas aqua pænè redundantes. Mihi quidem factu optimum videtur vt in hospitium redeamus. id quum vt suo arbitratu ageret annuissem, properantem eò duco vbi riuus ceteris latior fluebat. Hîc, Mi pater, inquam, cautione opus est vt ne pedibus nostris balneum paremus. & ecce, iam locum dispexi, vbi sine vllo periculo saltu nos traijcere queamus. Porticus erat è regione, lapideis columnis innixa. Sisto ibi hominem ex aduerso vnius, & qui-

quidem prægrandis. tum leui ſaltu prior ipſe me traijcio: inde poſt columnam illam latens, vt & ipſe ſaltu me ſequeretur hortor. ille ad inſtar arietis cornibus aliquem impetituri, recollectis aliquot paſsibus, quanto poteſt ſaltu trans riuum ſeſe librat, ſed in columnam impingens ita retrocellitur vt fulmine percuſſum putares. Dum ille quadrupes in cœnoſo torrente volutatur, ego, Quid hoc rei, inquam, eſt, mi pater? An tibi farcimen ſuboluit, columna non ſuboluit: vbi iam tuus ille ſagax naſus? Sed tempus iam eſt, vt tu alium puerum, ego alium herum quæram. Quum hoc modo inteſtabilem illum Cæcum res ſuas habere ſibi iuſsiſſem, curſu celeriter inde me proripui, nihil quid illo fieret ſollicitus.

Maquedam inde profectus, Clerici cuiuſdam plebani miniſterio

ſterio me addixi: è charybdi in ſcyllam, ab equis ad aſinos delapſus. Erat quidem Cæcus ille meus impendio auarus ac tenax, idem tamen cum hoc nouo hero meo comparatus, magnus ille Alexander mihi videbatur. Quid vultis dicam? Totius Mundi auaritiam hic ſuo vnius pectore concluſam geſtabat. id vitium an ei innatum vel adſcititium fuerit, ſanè neſcio. illud ſcio, maiorem famem me nullibi perpeſſum. Supellectilium quidem in ædibus eius nihil ego vidi, quam ciſtam omnino carioſam; qua ille pro penore vtebatur, eiuſque clauem è zona pendentem aſsidue ſecum circumferebat. Sed quas delicias penore illo aſſeruatas putatis? Lardum forte rancidum, carnes putidas, ſalſamenta corrupta, & id genus quiſquilias? Nihil horum vnquam lar noſter aſpexit.

Clericorũ quorundam auaritia.

Ali-

Aliquando tamen è macello caput ouillum domum afferebat. & ipſe quidem linguam, cerebrum, oculos, malas comedebat, reliquias vero mihi obiiciens, Cape, inquit, & ſtrenue tuburcinare. en melius ferculum quam ipſius Principis menſæ inferatur. ego autem nihil aliud optabã quam vt tam lauto ipſe cibo perpetuò frueretur. Vtinam vero mihi panis ſaltim ad explendam famẽ ſatis fuiſſet! quem ille multo diligentius quam Cereris ſacra concluſum aſſeruabat. Longum ſit ac faſtidioſum, ſi vobis recenſere velim quibus inſidiis atque artibus panarium illud à me petitum, atque etiam aliquando expugnatum fuerit. vnum tantum audite ſtrategema; quod & ipsũ mutandi heri cauſſa mihi fuit. Fame tantùm non enectus, inter vetera ferramenta apud fabrum quemdam clauem adſpicio, ei *Fames insidiosa*

quam herus meus gestabat forma & magnitudine omnino parem. Eam quum homo miserabilis nō difficulter precario impetrassem, iam Iouis cerebrum adeoq; ipsum Copię-cornu atque omnem sitarciam in potestate habere mihi videbar. Vna cura restabat, quomodo hominem attentissimum fallerem.

Primùm quidem abstinere non poteram quin integram massam panis surriperem: postquam autem ter & amplius quidquid in cista erat panium numerantem ac renumerantem, digitis etiam cōputantem vidi, facileque tam ex verbis quam gestibus suspicionem eius intellexi: cautius mihi agendum censui. Murium mihi in mētem venerat, (quamquā nullum vnquam istis in famelicis ędibus visum planissime persuasum habeam) quorum more panis medullam exterebrabam, deinde micas

micas in ventrem congerebam, relictis pauxillis reliquiis. quibus conspectis, tum rimis aliquot in cariosa cista deprehensis, Plebanus mures omnibus diris exsecratus, asserculos vetustate tabidos, quantum poterat, coagmentabat. quos ego, illo absente, præparato ad id ferrato cultro, foraminibus rursus ita implebam, vt à muribus erosi viderentur. Quibus capiundis quum frustra ille omnes artes adhibuisset, à vicino admonetur, serpentem forte domesticum illum furem, quem non semel viderit in ædes irrepẽtem: quem mirum non sit lubricitate sua omnes decipulas fallere.

Mures bipedes.

Hinc tanto magis anxius Plebanus, dies noctesque vigilare; quin etiam clauo ad lectum apposito sese armare, ad minimum strepitum exsurgere, ac totas fere noctes, tam venenatæ ac noxiæ bestiæ

ſtiæ metu, noctes inſomnes traducere. tum manè quærere ex me ſenſiſſemne forte beſtiam illam, ſe quidem nihil magis metuere quam ne non penum modo domeſticum depopularetur, verum etiam vitæ noſtræ inſidiaretur. Ego, qui beſtiam nôram, timidiſſimum me fingere. Sed præcipue illa me cura angebat, ne clauis illa Apertæ ſacrata, dum ille noctu domeſtico furi inſidians, obambulat apud me deprehenderetur. Sed profectò verum illud deprehendi, contra fata nullam valere ſeu prudentiam velis dicere ſeu aſtutiam. Quũ enim aſtutiſſimo, vt mihi videbatur, conſilio, iam in ſomnum me componens, clauim ori inſeruiſſem: ecce medio in ſomno dum ronchos duco, flatus os fiſtulæ ingreſſus, talem ſonum edebat, vt herus meus ſibilum illum ſerpentis, ſub ſtramine ſuper quo iacebam latentis eſſe ſuſpi-

ſuſpicatus, è lecto proſilierit, ac furtim ad grabatulum meum accedens, ſonum quà edebatur ſequutus, clauum, beſtiam ſcilicet percuſſurus, capiti meo ita impegerit, vt cerebrum pæne mihi diſperſerit. Vbi vero errorem ſuum ex mea heiulatione animaduertit, tum, allato lumine, clauim ex ore meo prominentem vidit, ſtatim me ſic cruento & ſemianimi relicto, nihil prius habuit quam vt, aperta ciſta, fraudem meam planiſsime detegeret, & non viciniis tantum, ſed aduenis etiam & quoſcumque nactus eſſet, facete admodum narraret. Id quidem ex aliis poſtea ego intellexi. totum enim triduum apud me non fui, nec quidquam tum me vel audiuiſſe vel vidiſſe memini. Recollectis aliquantulum viribus, bonus ille ſerpenticida, Deo ſe gratias agere, ait, quod tam noxias beſtias deprehendiſſet. Enimuero cauti-

one

one sibi opus esse, ne porro penu sibi depopulentur. Quæ verba quum ego minus intelligerem, sua ille manu me eliminat, & facessere iussum, pro viatico, crucis signo impertit.

Etsi vero & diuturna fame, & atrocissimæ plagę doloribus confectus ac plane eneruatus essem: Toletum tamen correpsi, vbi re-

Mendici validi. uincto capite vulnus ostentans, incredibilem multorum liberalitatem sensi. quod vbi cicatricem obduxit, plerique & vultu me aspernabantur, & verbis increpabant, dicentes: Ecquid puderet me tam valentem ac robustum stipem mendicare? Operis aliquid facerem, &, vt ceteri mortales, manuum mearum laboribus victum mihi quærerem, aut certe magnati alicui, Nobili aut ciui famulatum præstarem. Ad famulatus mentionem facere non poteram quin contremiscerem, quæ

mihi

mihi apud Cæcum, quæ paullo ante apud Plebanum vita fuerit, recordans: ex quorum ingeniis & moribus reliquos heros omnes metiebar. Inter has curas forte fortuna occurrit mihi Nobilis quidam, satis eleganter vestitus, cincinnatus, & tam incessu quam omnibus aliis rebus miram grauitatem præseferens. Post mutuam contemplationem, rogat, An herum quærerem? Annuenti, Bonis auspiciis, inquit ille, ô adolescens, hodie foras processisti, tam bonũ herum (si tu modo velis) nactus. Quis me tum lætior? Iam focum mihi continuè splendentem, iam cellas vino & omnis generis annona refertas, iam ollas bubulis, suillis, ouillis, vitulinis carnibus bullientes, iam verua assamentis stridētia, iam sartagines frixis piscibus plenas, iam pernas, exta, glandia, sumina & quidquid in cibũ expetitur mihi imaginabar,

iam

iam propediem magnifico vestitu conspicuum me futurum circumspiciebam, iam denique in summas diuitias venturū me mihi persuaseram, quarum omnino aliquo modo futurus essem particeps: eoque alacriter suscepto ministerio, præeuntem nouum herū sequebar, nuspiam oculos deflectens, vt ad omnem nutum præsto essem. Et ille quidem per omnes me fere plateas circumduxit, magnifice se, quod famulum scilicet haberet, inferens. ego quum nullibi ille consisteret, nihil in macello, nihil in foro emeret, tāto maiori incedebam lætitia, nihil dubitans domi nos & cibum & reliqua omnia parata inuenturos. Meridie iam appetente, primarium templum ingressus, iam peractis sacris, omnique dilapsa multitudine solus auelli non poterat; vt esset ne æditaus pæne dubitare inciperem, si non esset, pietatem eius

eius ac deuotionem vehementer admirarer. Tandem vero & ipse exiens, mirifice ad grauitatem cõposito gradu, longissimam plateam ingreditur: quam emensus, nescio per quos amfractus ad angiportum quemdam contendit, ibique consistens, casulam quamdam reserat, & ingrediens, vt sequar iubet. Quid mihi tum animi putatis fuisse? Fateor sane primo adspectu nihil tam triste mihi visum. Per scalas male cohærentes enixi, cubiculum intramus, nulla supellectili, nullis vtensilibus instructum. Hic ille pallium sollicite admodũ prius, num puræ mihi essent manus, rogans, humeris suis detrahere me iubet, & excusso puluere, complicatum mensulæ imponit, inde in putrem sellam sessum se recipiens, ociose cuias essem, quarum artium gnarus, & cætera quæ solent, percõtatur. Breuiter ad singula respondeo,

Munda paupertas.

deo, vt cui animus iamdudum esset in patinis: iamque imperium eius prandium apparandi exspectabam. Iam enim duas horas vltra meridiem dies processerat. Sed quum nec culinæ nidor, nec quidquam aliud spem mihi prandij promitteret, non potui quin fortunam meam mirarer simul & miserarer, facile intelligens quali hero me addixissem: qui diu dubitaui, an ex chamæleontum forte esset genere, qui aere victitant. Adeo totis ædibus nihil quod vel minimam suspicionem Cereris aut Bacchi latentis præberet, conspiciebatur. Post multos vltrò citroque habitos sermones, tandem An pransus essem rogat, Neganti mihi, Atqui ego, ait, hodie mane largum admodum sumsi ientaculum, quod quidem omnem prandij appetitum mihi exstinxit. Tu quoque rectè feceris, si famem integram ad cœnam serues. Hic quidem

dem ille non verba mihi ſed lapides loqui videbatur: parumque aberat quin animo & corpore conciderim, non tam præſentis famis cruciatu, quam & anteactæ meę, & futuræ vitæ ſubeunte memoria. Equidem cum Plautino illo paraſito non immerito ſuſpicabar, Famem fuiſſe matrem mihi, cui quidem ego illam gratiam multo maiorem referrem inuitiſsimus, quod vt illa in aluo mēſes me geſtauit decem, ita ego illā in aluo plus annos decem geſtarē. Vultu nihilominus ad hilaritatē quantum poteram effictō, Non, inquam, here nobiliſsime, ego ex eo ſum puerorum genere, quibus vnicum ſtudium eſt quidquid nacti ſunt abligurire, & cupediis inhiare. illud dicere auſim (& ſi adeſſent priores mei heri, vltrò, ſcio, teſtimonium mihi perhiberent.) vix vllum puerum pauci- oris ac facilioris cibi reperiri. Ille,

Macte

Macte hac, inquit, tua virtute, mi Lazarille, quæ mihi te multo chariorem facit. Et porcorum sane est ventrem cibo distendere; hominum, sobrie ac frugaliter viuere. Sed ô me miserum! cogitabam, cuius heri omnes famem tã salubrem esse arbitrantur. Hæc mussans, pone ianuã, micas quasdam è sinu depromtas clam, vt putabam, in os in vergo, & maxillas meas exerceo. Id conspicatus herus meus Nobilis, Adesdum, inquit, Lazarille. Quid ego te manducantem video? Adeo, pudore suffusus: & tria panis fragmenta, vti è sinu depromseram, ostendo. quorum optimum ac maximum ille sume[illegible] Hic, inquit, panis mediusfidius ipsa sui specie mihi allubescit. Sed quid tu? vnde eum habes? an puris manibus factum putas? Horum, inquam ego, nihil scio, qualis qualis & vndecumque sit, mihi quidem optime

Mendica Nobilitas.

optime ſapit. Ille, vtinam puris tantum ſubactus ac piſtus ſit manibus. Guſtum ipſe exploraueró. ſimul cum dicto ita tuburcinari incipit, vt certamen mecum ſuſcepiſſe videretur. Ego id eum agere ſuſpicans, vt penſo ſuo abſoluto, mihi in reliquo abſoluendo dentium ſuorum locaret operam, quantum poſſum ſtrenue quidquid ad manum erat abſumo. ille vbi nihil reliquum vidit, micas etiam è veſtibus ſuis colligit. inde è proximo conclaui, fictilem vrnam depromit, & quum prior ipſe bibiſſet, mihi porrigit. Excuſo me verecunde admodum, ac temeti expertem me aio. Ille, Cape, inquit, temetum non eſt, ſed vnum ex quatuor elementis. quum ergo & ipſe pauxillum delibaſſem (cum fame enim bellum mihi plerumque erat, raro cum ſiti) & poculum loco ſuo repoſuiſſem, iubet vt ad alteram ſpondæ cui adſide-

O inſtructam bene domū.

bat partem secedam, & quæ monstraturus esset diligenter obseruem. Sic altrinsecus consistentes, miserũ grabatulum extruimus, illum quidem tanta duritie, tam tenui apparatu, vt me vix quidquam miserabilius vidisse meminerim. Perticæ aliquot duobus transuersis tignis, aptatis ad id foraminibus insertæ erant. His saccus stramine repletus erat impositus, tum lectus superbus admodum, vt qui ne latum quidem vnguem vel Regi aut Principi cessisset. Plumisne an tomentis fultus fuerit nescio; hoc scio me sæpius dum molliorem concinnare studui, operam & oleum perdidisse. Puluinus & culcita instar erant cẽtunculi. Lodices nondum etiam dicere possim, è qua materia aut quo colore fuerint. Dum regium hunc thorum apparamus, iam dies fere abierat. Hic ille bonus paterfamilias, Mi Lazarille, inquit, scis

Cedo nulli.

forum

forum hinc longiuscule distare. tum fures, lopodytæ, atque id genus lauerniones noctu fere omnibus plateis grassantur. Quid si cenam in crastinum differamus? ego iam quidem nihil omnino annonę in promtu habeo, vt qui hactenus primarij cuiusdam ciuis mensam frequentarim. nunc tempus & occasio admonet, vt penum ipse instruam, & domicilium quasi figam. Ego, Mei caussa, inquam, mi here, ne sis solicitus. neq; enim vnam tantum, sed plures etiam noctes, si vsus veniat, citra incommodum cena carere possim. Ille, Quanto rectius hoc, inquit, tu quam plerique alij, qui largioribus & intempestiuis epulis vitam sibi præcidunt: ad quam diutissime conseruandam nihil vtilius est quam permodici cibi vsus. Tum ego mecum: Hoc si ita est, Tithono sane ego fuero longæuior, vt qui medicorum hoc præceptum,

Incommodum sanitatis remediũ.

quamquã non ex medicorum consilio, à puerò nimis quam accurate obſeruarim. Inter hæc appetente iam nocte, herus meus exutis veſtibus in lectum ſeſe componit, ego vero ad pedem ſpondæ iuſſu ipſius me reclino. Quam ſua uiter ille (nam & ipſe & impranſus & incœnatus cubitum iuerat) dormierit neſcio: ego quidem tota illa nocte ſomnum oculis non vidi. interim namque dum animus meus prioris fortunæ pertæſus, futuræ anxius, miſerum in modum diſtraheretur, ſpondæ durities latera mihi totumque corpus affligebat. nec commouere me audebam, ne heri ſomnum perturbarem veritus. Quid multis? Veris ego lachrymis ac gemitibus infelicitatem meam deplorabam, & non falſo voto mortem mihi imprecabar. Mane quum vterque conſurrexiſſemus, ille quidem per ocium veſtes diligenter manibus,

quod

quod deessent scopæ setaceæ, à me purgatas, induit, manus deinde ac faciem, me aquam affundente, abluit, tum digitis (neque enim pectinis erat copia) capillos discriminat, & quātū poterat, in cincinnos componit. Quum deinde per cubiculum passus aliquot fecisset, gladium lateri aptandum mihi commonstrans, Hic, ait, quouis thesauro mihi potior est, vnus ex omnibus quos faberrimus ille faber Antonius Picinnius fecit, exquisitissimus. Tum vagina extractum vibrans, Cedo, inquit, mihi quemuis thoracem ferreum, & eum tibi dissectum dabo. Et tu (sic ego apud animum meum cogitabam) Cedo mihi quemuis panem, aut armum bubulum, aut pernam, & dentes mei tibi hæc omnia dissecta dabunt, quamuis illi è ferro, aut chalybe facti non sint. Appenso inde ad latus precioso gladio, & humeris iniecto pallio pedem do-

mo effert, & magnifice vndique se circumſpiciens, per plateas frequentiores & fora velut modulato aut cribrato greſſu ſeſe infert. Confectis aliquot ſpacijs, iubet vt domum redeam, & interea dum ſacris ipſe intereſſet, lectum exſtruam, aquam è proximo flumine hauriam, ceteraque domeſtica obeam munia: in primis autem ædes diligenter occludam, ne fures aliquid harpagarent. Et ad hoc quidem vix riſum cohibui: quum vero adderet, vt ſi forte exire negocij cauſſa vellem, clauim commonſtrato ad id loco reponerem, id dicere mihi viſus eſt, prandium, adeoque omnem victum foris mihi quærendum. Reuertens ego, ſic mecum meditari cœpi: Deum immortalem, quam multa tu vides hominibus plane abſcondita! Quis miſerum illum hominē externa æſtimans ſpecie, non ſummo prognatum genere, non inuiden-

O vanitas.

dendis opibus præpollere putet? An quisquam credat, impransum heri & incenatum cubitum iuisse, & hodie è tam vili surrexisse grabatulo? aut micas è Lazarilli sinu depromtas heri esitasse? Quam speciosis coloribus humana occultatur miseria? Hæc aliaque multa & in via & domi cogitans, obseratis foribus ad flumen cum vrna descendo: tum forte fortuna herum meum in altera ripa cum duabus puellis colloquentem video, quorum sermonem audiendi cupidus, clam arrepo. Erant hæ ex earum genere quæ matutinis deambulationibus non, vt ille, famem obsonare, sed sedare student. Et sane raro accidit vt eiusmodi venatrices sine præda domum reuertantur. Et iam in sermone, consumtis ab hero meo omnibus artis Amatoriæ pigmentis, illæ eousq; processerant, vt ientaculi vltro iniicerent sermonem. tum ille, cui mar-

Alius foris, alius intus.

ſupium æque frigebat ac ſtomachus calebat, expalleſcere, hæſitare verbis, ex transuerſo aliquid aliud in medium adducere, ita denique ſe excuſare, vt illæ, vultu hominem aſpernatæ, propere ab inſalutato quaſi diſceſſerint. Propero & ego domum: quã quum vellem verrere, ſcopas non habebam. nec quidquam aliud videbam, quod me ad aduentum vſque heri occupâtarũ teneret. quod ergo reliquum erat, ocioſus domi opperiri conſtitui: ſed dudum elapſa hora prandij, vbi herum nullum venire animaduerti, foras prodeo, clauim quem demonſtrarat loco repono, & monente ventre, oſtiatim victum quærere incipio. Vide quanti ſit à teneris adſueſcere. Quia in hac arte, quã cum Cæco factitaram, tyro non eram, breui tãtum profeci, vt pręter neceſſarium victum aliquid etiam ſupereſſet. Illa ipſa veſpera, quum iam

iam pane & ventrem saburratum & sinum refertum haberem: per macellum domum rediens, ab anu exta vendente eleemosynam flagito: quæ statim nescio quas reliquias mihi obiecit. Hoc comeatu onustus domum peto; quo iam herus ante me venerat, & deposito diligenterque complicato, vt semper solebat, pallio obambulabat. Me conspicatus, accurrit celeriter, non sine meo metu, ne plagæ mihi in mundo essent. Placide rogat, vnde veniam, vbi fuerim. Respondeo, exspectasse me ad horam vsque secundam pomeridianam: ad quam quum non adfuisset, foras ijsse, & quod videret, à pijs hominibus corrogasse: simul annonam meam effundens. Non stomachabatur ille quidem, quod initio subuerebar, sed, Ego quoque aiebat, in prandio te aliquamdiu exspectaui, sed quũ in mora esses, solus prandium omne absumsi. Te

Herus fa- muli a- lumnm.

quidem vt frugi & bonæ indolis puerum laudo. Certe enim mendicari melius est quã furari. illud tantum moneo vt quod agis caute agas, ne quis forte te in meo famulatu esse comperiat. ea enim re existimatio mea maiorem in modũ læderetur. Sed nihil esse periculi facile mihi persuadeo: vt qui in hac vrbe paucissimis notus sim. Atque vtinam pedem nunquam huc intulissem! Ego, Bono animo es, inquam, mi here. Ex me quidẽ nemo quidquid huius est rescisset. Perfruere ergo, inquit ille, cena tua. Deum ego spero in posterum nobis magis fore propitium, & calamitatibus meis finem impositurum. illud vero tu scito, ex quo in hanc domum commigraui, nullũ lætum diem mihi illuxisse. Hæc sine dubio ex earum est numero, quæ infaustis sideribus conditæ, infausta quæque incolentibus afferunt atque accersunt. vnde mihi

Ædes infaustæ.

cer-

certo certius constitutū est, quantocyus hic mensis effluxerit emigrare, & cōmodiorem habitationem quærere. Hæc illo dicēte, ego, ne hero lurco aut vorax viderer, vt qui tempus cenæ anteuertissem, in ipsum pauimentū, quod nulla, vt supra dixi, haberemus sedilia, sessum me recipio, & integrā famem simulans, cupide admodū tam panem quam exta emendicata, ante me in sinum effusa, contrūco: à quo famelicus ille nusquam oculos dimouebat. Ita mei Deus misereatur, vt me miseri illius hominis miseritum est! Etsi enim nō ore, sed oculis rogare mihi videbatur, ad communem mensam tamen inuitare non audebā, veritus ne id pro contumelia interpretaretur. Tandem ille propius ad me accedens, cum admiratione exclamat, ac per Nobilitatē suam deierat, vix vnquam vllum hominem sibi visum, qui meliore cum gratia & appetitu dentiū operā exerce-

ret. Vnde saliuã sibi quoq; motã; & quamuis iamdudũ ad satietatẽ cenatus sit, velle tamẽ paullulum mecũ degustare. inter exta pes erat bubulus: ad quẽ ille tamquã larus inhians deiectis oculis, Ex omnibus, inquit, cibis, nullus palato meo magis arridet, etiam ipsa ambrosia præ hoc vesci non velim. Rogo humiliter, vt sumeret quod cumq; sibi placeret. Sic ille iuxta me cõsidens, totius cenæ participem se fecit, multo magis strenue quã ego tuburcinatus. *Postquã exempta fames epulis, mensaq; remota,* iubet vt e proximo conclaui hydriã afferam: è qua quum nihil omnino delibatũ viderem, facile animaduerti cenã illã, qua perfunctum se herus meus dixerat, esse cõmentitiam. Cubitũ inde cõcessimus; eaque nocte, sedatis scilicet ventris doloribus, melius vterque quiescere visi. Nõ diutius vos minutarũ rerũ narrationibus detinebo. illud tantũ vobis asseuero, in

animo

animo meo nescio quē amorē erga herum hunc meū, licet miserū & famelicum, exarsisse: quem non dubito si quid ei ad manum fuisset, liberalitatem quoque suam erga me depromturum fuisse. tāto magis & Cæci illius & Plebani, quibus ante famulatus fueram, extremam auaritiam detestabar, qua me homines nequissimi ac sordidissimi, tantum vt bonis suis parcerent, ad necem pæne dederant. Admirabar simul hominis huius patientiam, qui in tanta egestate tantum animum gereret, tamque magnifice foris sese ostētaret, vt è summatibus aliquis esse ac Crœsi diuitias possidere videretur. Ex eo sane quotiescunque ardelionem eiusmodi video, vestitu, incessu, gestibus magnifice ac superbe se inferentem, statim animum meum miseratio subit, similem miseriam sub pompa illa latere suspicantis. Iam satis intelligitis, opinor, quæ mea sub hero

illo, seu potius alumno meo fortuna fuerit: cuius genus, conditionem, negocia modis omnibus noscere satagebam, sed quum aduena esset, diu explorare nihil poteram, donec ipse, credo quod largiusculé alicubi parasitando sese inuitasset, quodam die sic exorsus est: Procul dubio, mi Lazarille, præsentem meam fortunam intuens, miraberis quid sit, quod homo nobilis tam paupertinam ducam vitam. quocirca ne sequius aliquid de me aut generis mei Nobilitate suspicére, sic habeto. Patria est mihi Castilia vetus, genus à longa maiorũ serie ac prosapia, prænobile. Caussam peregrinationi meæ præbuit æmulatio quædam, inter me & vicinum orta. Erat is generis nobilitate fors mihi par, opulentior tamen. Hinc ille cristas altius erigens, salutantem quidem comiter resalutabat, numquam tamen prior me salu-

Vana superbia.

ſalutare aut honore præuenirè dignatus eſt. Id quum ego nec ferre, nec ob hominis potentiam & auctoritatem ſatis commode vlciſci poſſem; exſilium mihi ipſe indicere, quam ſubmiſsione mea ambitionem eius alere malui. Heic quum ego iuuenili ſimplicitate ſubieciſſem, Mihi quidem nō videri iſthæc talia ita ad viuum reſecanda, nec ob tantillam rem ſolum vertendum & ipſos penates deſerendos; ille, De te nihil mirū, inquit, mi Lazarille, qui puer es, nec in quibus rebus honor & exiſtimatio ſita ſint nôſti: quæ quidem, Nobili inprimis, ipſa vita chariora eſſe debent. Egon' inquā paria non facienti reuerētiam exhibeam? Mihi crede, ſi vel Comes à me ſalutatus non paribus me ceremoniis reſalutaret, nec totum caput, vt nonnulli ſolent, commoto leuiter pileo, aperiret, numquam vel minima reuerentiæ ſigni-

gnificatione me ipsum dignatarum; quin etiam si eminus venientem videam, vestigia retrolecturum, aut in proximas ædes secessurum. Si nescis enim, nemini mortalium quisquam Nobilis quam Regi aut Principi suo, post Deum, debet reuerentiā: nec vlla res est in qua vere Nobilis honorem suum atq; existimationem pertinacius defendere ac nemini cedere teneatur. Memini opificē quemdam in patria mea, quum nimis familiariter me salutaret, acerbe à me increpitum, atque etiam, parum abfuit, verberibus dedolatum fuisse. Et profecto nō ea mei generis est conditio, vt cuiusquam imperium pati debeam. Crede mihi, si tantum soli haberem in vrbe Toletana quantum in mea patria, satis superque mihi forc vnde viuerem. Nunc illud quoque res meas valde afflixit, quod patrimoniale illud meum

præ-

prædium, collapsa domo & agris non tam incuria quam cultorum inopiâ neglectis, inutile fere mihi factum est, ac tandem vsuris ac pensionibus absorptum. Ego tamen quiduis potius perpeti paratus sum, quam vt cuiquam magnati, præterquam ipsi Regi, aut magno alicui Principi inseruiam. Scio enim quæ sit famulantium conditio: qui si placere heris suis studeant, reliquorum contubernalium odia incurrunt. Quod si quis ad nutum ac voluntatem heri accommodare se non possit, quid, Deus bone, tali homine cõtemtius ac miserius fieri queat? Si mihi tamen famulatum eiusmodi obire necesse sit, hoc inprimis mihi ipse imperare velim, vt promtus sim ad omnia obsequia, vt hero in omnibus assenter, cum aiente aiam, cum negante negem, nullo veri aut falsi discrimine, ridenti arrideam, applaudam ineptienti,

ti, in omnibus denique illud caueam, ne quid dicam aut faciam quod vel minimam ei molestiam aut offensiunculam mihi creare posſit. Vidi plerosque id genus homines hoc vnum agere, vt præsentibus heris rerum omnium, etiam nullius momenti, satagant, iisdem absentibus, omnia susque deque habeant: tum si quid secus acciderit, reliquos contubernales etiam magis fidos ac diligentes inclament & obiurgent iis verbis, quæ ab hero clam auscultante audita, firmissimam diligentiæ ac fidei animo imprimant persuasionem. De reliquis Aulicorum moribus, mi Lazarille, nihil amplius dicam, quam mirari me, & esse quemquam qui in tam impura comministrantium colluuie tam ingratis heris seruire velit; & reperiri Principes ac magnates, qui tam improbam Assentatorum oculis tantum seruientiũ turbam ferre

ferre possint. Mihi tamen si fortuna magni alicuius Principis fauorem conciliauerit, nihil prius futurum sit quam omnibus obsequiis in re qualibet eumdem retinere atque augere.

Hæc quidem ille, simulque alia multa quæ iam non occurrũt, mihi memorabat: quum ecce senex quidam cum muliere in domum nostram irrumpit, rationes profert, pecuniam tam pro ædiũ quam lecti vsura pactam flagitat. Erat verò herus ille meus ea modestiâ vt neutiquam irasceretur; sed sollicite inprimis morã solutionis excusaret, rogaret tandem vt vesperi redire vellent, interea se pecuniam à collybista peliturũ. Digressis illis, bonus vir cum omni ornatu ac substantia sua, more solito, progreditur, vtque ædes interim diligenter custodiam iubet. Mox cum vespere redeunt creditores; quum vero ad multam *Herus fugitiuus.*

tam

iam vſq; ad noctẽ fruſtra exſpe-ctaſſent, occluſis foribus domum & ipſi eunt, ego ad vicinos diuerto. Quid poſtea vel hero meo vel creditoribus acciderit neſcio. equidem hoc affirmare poſſum, non me ab hero, ſed herum à me aufugiſſe. Hoc modo nouum quærere dominũ coactus, Cazzagliam tandem veni: ibique ducta in vxorem Senatoris cuiuſdam nobilis ancilla, eius commendatione honorabile munus adeptus ſum, vt ſcilicet vino præconium faciam. Et cetera quidem in familia mea recte ſe habent, niſi quod vxoris meę lubricitatem inuidi mihi exprobrent. Sed dicant illi quod lubet: mihi certum eſt nihil ſequius ſuſpicari, vt cui vxoris meæ probitas omnium optime ſit explorata.

Hic vnus è ſodalibus noſtris: Recte tu, qui pacifice cum vxore cupis viuere. quod ſane vbi ſiniſtra

ſtra aliqua ſuſpicio vel paullum inoleuerit, fieri non poteſt. Suadeo tamen ne nimis fidendo, deceptum tandem te ſentias. Neſcis tu forte quam inſtabile ſimul & aſtutum ſit muliebre genus. Exemplum, ſi vis, audi, non recens, ſed vetus. quod dum narro, ad oppidum, cuius aſpectus iam nobis patere incipit, tanto minore cum moleſtia perueniemus.

Matrona quædam tam notæ erat pudicitiæ, vt vicinarum quoque gentium feminas ad ſui ſpectaculum euocaret. Hæc ergo quum virum extuliſſet, non contenta vulgari more funus paſsis proſequi crinibus, aut nudatum pectus in conſpectu frequentiæ plangere, in conditorium etiam proſequuta eſt defunctum, poſitumque in hypogæo, Græco more, corpus cuſtodire ac flere totis noctibus diebuſque cœpit. Sic affligentem ſe ac mortem inedia per-

perſequentem nō parentes potuerunt abducere, non propinqui. magiſtratus vltimo repulſi abierunt, comploratáque ſingularis exēpli femina ab omnibus, quintum iam diem ſine alimento trahebat. Adſidebat ægræ fidiſsima ancilla, ſimulq́ue & lacrumas cōmendabat lugenti, & quotiens defecerat poſitū in monumento lumen renouabat. Vna igitur in tota ciuitate fabula erat: & ſolum illud adfulſiſſe verum pudicitiæ amoriſque exemplum omnis ordinis homines confitebantur: quū interim imperator prouinciæ latrones iuſsit crucibus affigi, ſecundum illam eamdem caſulam, in qua recens cadauer matrona deflebat. Proxima ergo nocte quum miles qui crucem adſeruabat, ne quis ad ſepulturam corpora detraheret, notaſſet ſibi & lumen inter monumenta clariùs fulgens, & gemitum lugentis audiſſet; vitio

tio gentis humanę concupiit ſcire, quis aut quid ibi faceret. Deſcendit igitur in conditorium, viſaque pulcerrima muliere, primò quaſi quodam monſtro infernisq; imaginibus turbatus ſubſiſtit: deinde vt & corpus iacentis conſpexit, & lacrumas conſiderauit, faciemque vnguibus ſectam, ratus ſcilicet quod erat, deſiderium exſtincti non poſſe feminam pati; attulit in monumētum cenulam ſuam, cœpitque hortari lugentem, ne perſeueraret in dolore ſuperuacuo, & nihil profuturo gemitu pectus diduceret: omnium eumdem exitum eſſe: ſed & idem domiciliū: & cetera quibus exulceratæ mentes ad ſanitatem reuocantur. At illa ignota conſolatione percuſſa, lacerauit vehementius pectus, ruptoſque crines ſuper pectus iacentis impoſuit. Nec excesſit tamen miles, ſed eadem exhortatione tentauit dare mulierculæ cibum,

bum,

bum, donec ancilla vini certe ab eo odore corrupta, primùm ipsa porrexit ad humanitatem inuitantis victam manum: deinde refecta potione & cibo, expugnare dominæ pudicitiam cœpit. &, Quid proderit, inquit, hoc tibi, si soluta inediâ fueris? Si te viuam sepelieris? si antequam fata poscant, indemnatum spiritum effuderis?

Id cinerem aut manes credis curare sepultos?

Vis tu reuiuiscere, reluctantibus fatis, exstinctum? vis discusso muliebri errore, quam diu licuerit, commodis frui? ipsum te iacentis corpus admonere debet vt viuas. Nemo inuitus audit, quum cogitur aut cibum sumere, aut viuere. Itaque mulier aliquot dierum abstinentiâ sicca, passa est frangi pertinaciam suam: nec minus auide repleuit se cibo quam ancilla, quæ prior victa est. Ceterum

scitis

ſcitis quid tentare ſoleat plerumque humanam ſatietatem. Quibus blanditijs impetrauit miles vt viuere vellet, ijſdem etiam pudicitiam eius aggreſſus eſt. Nec deformis aut infacundus iuuenis caſtæ videbatur, conciliante gratiam ancilla, ac ſubinde dicente:

—Placitone etiam pugnabis amori?
Nec venit in mentem quorum conſederis aruis.

Quid diutius moror? ne hanc quidem partem mulier corporis abſtinuit, victorque miles vtrumque perſuaſit. Iacuerunt ergo vnà, non tantum illa nocte qua nuptias fecerunt, ſed poſtero etiam ac tertio die, præcluſis videlicet conditorij foribus, vt quiſque ex notis ignotiſque ad monumentum veniſſet, Putaſſes exſpiraſſe ſuper corpus viri pudiciſsimam vxorem. Ceterum delectatus miles & forma mulieris & ſecreto, quidquid boni

per facultates poterat, coemebat, & prima statim nocte in monumentum ferebat. Itaque cruciarij vnius parentes, vt viderunt laxatam custodiam, detraxere nocte pendentem, supremoque mandauerunt officio. At miles circumscriptus dum desidet, vt postero die vidit vnam sine cadauere crucem, veritus supplicium, mulieri quid accidisset exponit, nec se exspectaturum iudicis sententiam, sed gladio ius dicturum ignauiæ suæ. commodaret modo illa perituro locum, & fatale conditorium familiari ac viro faceret. Mulier non minus misericors quam pudica, Nec istud, inquit, dij sinant, vt eodem tempore duorum mihi carissimorum hominum duo funera spectem. malo mortuũ impendere quam viuum occidere, Secundum hanc orationem iubet corpus mariti sui tolli ex arca, atq; illi quæ vacabat cruci affigi. Vsus est

est miles ingenio prudentissimæ feminæ: posteraque die populus miratus est, qua ratione mortuus iss[illegible]t in crucem.

Risu excepêre fabulam comites, multaque alia in muliebrem perfidiam iocati sunt: quum ad oppidum fere iam peruenimus. Hic agaso descendere nos iubet, quod non oppidum ingredi, sed Tinaiam vsque progredi constituisset. Et tu, inquit, adolescens, rationes mecum puta. Tanto mihi acerbior hic ictus fuit quanto magis inopinatus. Gratis me in hospitio pastum, gratis vectum crediderам, at bonus ille meus iam mercedem flagitabat. Hem! ideone tantam in rusticano homine liberalitatem antea admiratus sum? Rogo, quantum debeam. Tantumdem, inquit ille, solue quantum hi qui tecum vecti sunt. sed præter vecturam, scis me in hospitio pro te satisfecisse. Quod

Rusticanorum liberalitas qualis.

ad hoc, inquā, restituam quod licet iniussus, pro me exposuisti. at pro vectura nihil tibi debeo, quam tu vltro mihi obtulisti. quippe pedibus vti poteram, nec tuo hoc, vt falso interpretatus sum, beneficio indigebā. Cōtentionem hanc nostram ita diremerunt comites, vt iumenti quod equitassem pabulum soluerem, vecturam immunem haberem. Sic misello mihi zonula iam ante tenuis omnino exhausta fuit, vt in fundo eius viginti tantum numuli relicti fuerint: cum quibus oppidum ingressus, solus (reliqui enim comites alius aliò discesserant) hospitium fortunis meis congruum quæsiui.

CAPVT

CAPVT VIII.

Gusmanus Cazzaglia Madritum proficiscens, miserabilis hominis conditiones experitur. In via cauponi operam suam addicit.

CAzzagliæ quum essem (oppidum id duodecim Hispali abest milliaribus) dici non potest quam variæ atque adeò contrariæ curæ ac cogitationes animum meum incursârint. Bona res & optabilis est, habere patrẽ; melior matrem; at optima, cibum. Similis mihi videbar cani famelico, quem pendente cauda obambulantem omnes allatrant & circũsistunt: ille vero, nudatis tantum dentibus, nullum eorum mordet, sed satis habet si illæsus abeat. Reipsa tum expertus sum quanti sit numus: quem qui non magno lucratur labore,

Miserabilis qualis.

Necessitatis vis.

bore, nihili æstimat, nec scit quantum valeat, donec eo ipso quoque destituatur. Tum primum ego Necessitatem vidi, vt ita dicam, de facie ad faciem: cuius effectus postea sensi. O durum telum! ô pessimam pessimarum rerum magistram! Quid non mortalia cogis pectora! Verè tu leges omnes frangis. verè tu in seruitutem cũcta adigis: adeò vt non immerito ipsis Ethnicorum deastris imperitare olim sis credita. Tui, iritatæ præsertim (vt Portius Latro, forte ipse expertus ait) morsus sunt grauissimi. Illud nescio, plusne mali an boni ad hominum vitam attuleris. Scio quidem omnium pænè artium inuentionem tibi deberi. Quis enim (reliqua omnia prætereo) Psittacum docuit suum χαῖρε?

Magister artis ingeniiq; largitor Venter.

Recte

Recte Plautinus ille: *Sticho.*

Egestas & inopia omnes artes perdocet vbi quem attigit.

Nec artes solum, verum etiam virtutes docet Necessitas: quæ, vt Curtius ait, *Ignauiam quoque acuit; & desperatio sæpè spei caussa est*, eadéq; , vt ibidē ait, *efficacior est omni arte*. Nec minus scite alius, *Nullum incitamentum ad vincendum homini à dijs immortalibus acrius esse*, dixit. Hoc vt nō nego; ita vicissim illud scio, vix esse quidquam quod hominem in periculosiori sistat præcipitio. O quam mirabiles cogitationes animo subijcit egestas! quā intricata suggerit consilia! vt mirum non sit, eius vnius caussa, ab hominibus male à natura, peius etiam à doctrina instructis tot flagitia quotidie designari. Quando vero de Egestate loquor, nō illam tantum intelligo quæ ad vitam necessarijs caret præsidijs, sed eam quoque quæ in rerum omnium

Lib. 5.

Liuius.

Egeni qui.

abundantia nullum modum inuenit aut satietatem. Tam de auaro quam mendico dici potest, *Per amnon impleri*: & *Loculos semper inanes*, Ille, vt Horatius ait; *Magnas inter opes inops, semper eget*, &, vt,

Ad.17. Epod. Epist.2 lib.1. Sat.3. lib.2.

Pauper Opimius argenti positi intus & auri,

nec iis rebus quas vel labore sibi acquisiuit, vel fortunæ beneficio nactus est, vti fru audet, sed, vt alter Tantalus,

Quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat,

Certè si recta ratione atque adeò ipsa experientia rem putare velimus; ad grauiora flagitia plures impellere solet Auaritia quam Egestas, illud interest, quod Auarus malis suis artibus facile honestum inuenit pallium, ac diuitiarum pondere grauis, legum telas disrumpit, in quibus miseri quibus egestas aut alia quædam necessitas maleficium persuasit, obbærescunt.

rescunt. O quam sapienter ille post homines natos Rex sapientissimus & diuitias & paupertatem à se deprecatus est! ne tam ab illis quam ab hac peccandi arriperet occasionem. Paucis contenta est natura: quæ tamen ipsa si desint, fit sanè vt homines turpiter se dent, & malis artibus victum quærant. Tanto diligentius elaborandum est, vt quæ Dei munere obtingunt, non superfluis, sed necessarijs vsibus impendantur. Sed philosophari cesso: ad historiam redeo. Tot malis, iisque improuisis vexatus, velut è tenebris ad lucem emergere mihi videbar, paullatim quid esset Mundus, noscitans, quem tum velut è trasenna inspicere incipiebam. Tot molestiarum quæ in via mihi occurrerant, ac quarum longam seriem à tergo videbam pertæsus, domum regredi cupiebam: sed obstabat verecundia. Qua enim fronte, vix paternæ

Vexatio dat intellectū.

domus limen egressus, rursum matris, cognatorum, atque etiam ipsorum sodalium meorum oculis seminudum me obijcere auderem? Laudabilis sanè, in iuuenili præsertim ætate est verecundia: est tamen pudor quidam non inutilis modo, sed & vitiosus. Prouerbium est, *Viro egenti inutilem esse verecundiam*: ego vero multos præterea noui omnis conditionis & ætatis homines à vitioso pudore perditos. O quam multæ puellæ virginitatis iacturam fecerunt, quod pudori sibi ducerent procantibus, ac procos non veros agentibus sed simulantibus tantum, in amore non respondere! Quam multi, dum quidquam amicis negare erubescunt, & hos deinde, vbi res soluenda est, & fortunas suas amittunt? Quam multos pudor deterret ea quoque discere quæ turpe est nescire. Quã multa, vt ait Flaccus,

Verecundia vitiosa.

Incu-

Incurata malus pudor vlcera celat!

Iocularitur Plautinus ille seruus ait:

Verecundari neminem apud mensam decet.

Nam ibi de diuinis atque humanis cernitur.

Dictum seruo dignum.

Ego vero multa alia commemorare possem, in quibus nulla, aut certe non magna pudoris habenda sit ratio. Sed ne rursus exorbitem, in viam redeo. Pudore, vt dixi deterritus, abiecto domum redeundi consilio, Madritum vsque proficisci decreui, vbi tum Rex aulam, & magnam Principum ac Magnatum circa se habebat multitudinem. Deus bone, quā vanas cogitationes meas postea deprehendi! Imaginabar mihi, quamprimum eò venissem, omnes vltrò operam meam ac ministerium ambituros, accertatim dona atque

Vanae imaginationes.

 opes

opes in me congesturos. Sed chimæræ istæ fuerũt, in Vacuo bombynantes: quas vbi sol proximi diei ortus discussit, in viam me rursus dedi, relictis Cazzaglię vnà cum numulis, quæ in aëre ædificáram castellis, sumtoque in manus baculo, quo gressum adiuuarem, porta egressus duos video mulis inequitantes; quos pedibus sequi statui, ad minimum ex colloquio eorum solatium aliquod mihi pollicitus. Sed illi non minus verborum quam numorum parci, quum iam summo cum silentio aliquot emensi essemus miliaria è iumentis descenderunt quidem, ego verò quamuis fessus admodum & pænè exanimis, tum mulis in stabulum deducendis, tum sarcinis in hospitium deferendis diligenter ministrabam, ratus fore vt ad minimum cibi aliquid misero mihi ac famelico imper-

impertirent. Iam mensa erat posita: quum eorum alter sedulo occursantem facessere ac res meas agere me iubet. O pessimi homines, cogitabam, ac Deo hominibusque iuxta inuisi! Satis vobis non fuit in via, quantum in vobis fuit, me perdere, & desertum pati: nunc etiam supra vires inferuire conantem tam atrociter spernitis. Sic mœstus, è regione mensæ cui illi assidebant, parieti me acclino, & non verbis quidem, oculis tamen particulam aliquam qua resistere vires ac famem aliquo modo sedare possem, flagito. Sed non magis illi me curabant, quam si natus nunquam fuissem. Verum ecce dum tacitus miserias meas considero, Monachus quidam è mendicantium familia, idē hospitium ingressus, quod habebat cibarij è pera depromit: quúque me tamquam coruum buccis quibuslibet quas alij in os ingere- bant, *Mendicus mendicum iuuat.*

bant, inhiantem animaduerteret, extemplo, Equidem, ait, omni cibo ego carere malim, mi fili, quã pati vt cum fame, qua te prope perditum video, diutius conflicteris. Cape ergo & vnà fruere eo cuius mihi iam est copia. O immensam Dei bonitatem, æternam sapientiam, prouidentiam diuinam, infinitam misericordiam, qua non homines tantum, sed etiam vilissima animantia & vermes alis ac sustentas! Ecce qui iuuare me facultatibus suis poterãt, viscera misericordiæ claudunt, & famelicum ne mica quidem dignantur: at mendicus ille, nihil reliquum fere sibi faciens, ignoto dat quod habet. Verum certe est, qui non ipse multa tulerit ac perpessus sit, non facile aliorum miseriis commoueri. Tandem iam saturo bonus ille Frater quod reliquum habebat panis porrigit, si plus haberet, plus daturus: quod ego

ego tunicæ aperta ſutura inieci, ſicque in viam rurſus me dedi. Eo die confectis adhuc tribus milliaribus, ſub noctem vnà cum aliis viatoribus in diuerſorium me recepi, & prandij reliquiis pro cena vſus ſum: quæ talis fuit vt ſtomachum mihi inde neutiquam fuiſſe grauatum, vel iniurato mihi fidem omnes ſint habituri. Mane quum ſurrexiſſem, meque ad iter accingerem, hoſpes pernoctationis precium, quatuor ſcilicet numos, quamuis in ſtramine cubuerim, à me petit: quos quum non haberem, neceſſariâ conſequentiâ dare non poteram. Videns autem id eum agere, vt tunicam à me auferret, quæ, vtpote ex optimi generis panno confecta, amiſso pallio, habitum meũ aliquo modo commendabat, & paupertatem celabat, amare admodum plorare cœpi. Id conſpicatus quidam ex aurigis qui eõdem

dem diuerterant (neque enim omnes in eadem schola agrestes mores edocti sunt) missum me facere, & numulos illos sibi imputari iubet. Rogant eius socij, curas essem, vnde venirem, quò tenderem. Ille, Quid vos frustra hęc sine vllo alio beneficio interrogatis? Non videtis vel ab hero vel à parentibus suis profugisse? Hæc audiens hospes, rogat, An seruire ipsi vellem. Quod etsi graue mihi videbatur, vt qui hactenus domi famulis & ancillis, adeoque ipsi matri imperare essem solitus, annui tamen: sicque in familiam receptus, paucis diebus cauponarias artes vel maleficia potius didici, quæ sunt: Auenam vel hordeum infusa calida aqua tumefacere, eandem fraudulenter admetiri, demenso aliquid demere, cretâ bifurcatâ vti, vino iniectis herbis, aliisque noxiis rebus saporem conciliare, idem aqua diluere, ac

Cauponũ artes.

tantum

tantum non penitus transformare. Tum quidem expertus sum, vinum natandi habere facultatē, absque hoc enim quomodo fieri posset, vt in tanta aqua non summergeretur, aut plane suffocaretur? In vna hac domo multorum hominum mores vidi. Erant ex viatoribus qui sine vlla contradictione quod poscebatur soluebāt, & prudenter, meo quidem iudicio: quū hospitum verba autrationes diffinitiuæ sunt sententiæ, cōtra quas replicare, multo minus prouocare, non licet. Renitentibus & vel malam fidem vel auaritiam nostram incusantibus vis statim etiā ab ipsis Iustitiæ ministris, quos imperiis nostris promptos habebamus, parata erat, quā tamen ab illis alicui è nostra familia, & etiam ipsi matrifamilias, aut filiæ, aut ancillæ intentatam mentiebamur. Si quis quid forte per iniuriā apud nos reliquisset, id

id ſine vlla ſpe recuperandi, amiſſarum rerum adſcribere poterat numero. Furta alia, fraudes, rapinas, ac maleficia cauponum ſilentio prætereo: quæ alibi quidem maiora, alibi minora ſunt, pro cuiusque gentis moribus & ipſius Iuſtitię ſedulitate. Equidem ſic ſentio, optime facturum cuiuſque loci magiſtratum, ſi viis ac pontibus reficiendis, tum diuerſoriis quoque reformandis ſeriò curam atque operam impendant.

CAPVT

CAPVT IX.

Gusmanus Madriti mendicans, circumforaneas artes discit.

QVo minus mihi placeret id vitæ genus ad quod me non voluntas aut arbitriũ sed necessitas detruserat, faciebat eorum puerorum frequentia qui hinc inde discursantes ad nos diuertebant. Eorum aliqui pecuniam habebãt, alij non: aliqui bene, alij male vestiti erant, omnes tamen iter suum persequebantur. Eho, cogitabam, quid tu agis, Gusmane? quæ animum tuum obsidet ignauia? Itane florem ætatis tuę in hoc stabulo perdes? Hem, pusilli isti omnes itinerum molestias magno animo deuorant, & tu situ ac squalore hic torpescis? Quin fortunam tuam alibi quæris, & nequissimum hunc cauponem plo- *Fortuna tentãda.*

rare

rare ac longum valere iubes? Quũ hoc modo meipsum excitâssem, quas qualicumque modo collegeram reculas in sarcinulam colligo, & Madritum versus, q ò primo iter institueram, proficiscor.

Absumtis propere quas absportaram numis, mendicando victum quærere coactus sum: quẽ difficilem admodum mihi fecit quæ tum inciderat annona caritas. Repulsam ergo ab omnibus fere ostiis passus, vestes quas mihi in diuersorio paraueram victui impendi, sic vt quum Madritum venissem, vix haberem quo nates tegerem. Ea res mirum est, quam rationes meas omnes conturbârit. Noueram, quanti sit bene vestitũ in conspectu hominum apparere: nec verba mea sine re facile fidem inuentura. Quare cum vestibus omnem exlui (cui cum Fame nequaquam bene conuenit) verecundiam,

cundiam; cuius fines semel transgressus, statui bene & gnauiter esse impudens: sicque aliis simili habitu ornatis, me applicui. Iam credo, intelligetis, quæ tum mea fuerint exercitia. Tyro adhuc eram, & profectò non minus scita sunt circumforanearum quã quarumcumque aliarum artium rudimenta, in quibus dum desudo, dici non potest quam multa lusuum genera addidicerim, interea dum operam nostram conducturos exspectamus. Et sane multum me animabat sodalium meorum respectus, quos, licet pannosos, numulis tamen videbam instructos. Magna est asinorum societas, in quam etiam homines adscribi se patiuntur. Ex eorum ego fui numero, vt qui sportulæ ferendæ humeros meos, tamquam clitellarium iumentum submiserim. Vt verum dicam, Honore, cuius pondus tam graue est vt ferri à

ri à paucis posſit, exoneratum me gaudebam. Quid enim! Quam miſera eſt eorum conditio, quorum honor & exiſtimatio à mala pendet lingua! Quaſi vero neſciamus, honorem virtutis eſſe prolem; & tanto maiori honore quẽuis dignum quanto pluribus virtutibus eſt præditus. Erras, ſi honore me priuaturum te exiſtimas, niſi ſimul virtutem à me auferas. Nonnulli quidem opinantur, in mulieris poteſtate mariti eſſe honorem: quod tamen neſcio quis non ſine cauſſa negauit, indignum dicens tam vili ac fœtido loco rem tam præclaram collocatam. Sic ego exiſtimo, nullos felicius viuere, quam eos qui quid felicitas ſit ignorent. O quam laborioſum eſt eam, quæ vulgo putatur, adipiſci felicitatem? quam difficile eamdem conſeruare? quam periculoſum ferre? quam facile, perdere? Sed ô ſiniſtra mortalium iudicia!

dicia! In iis rebus honorem ſitum putant, in quibus minime ſitus eſt. Quam multi turpe ſibi putāt, ſi equos ſuos non quam ornatiſsimos producant: iidem interim Chriſtianos homines, eamdem imaginem Dei quam ipſi ferentes, nudos obambulare, adeoque fame ac frigore perire patiuntur. Sumtuoſis conuiuiis amici excipiuntur, in quibus ſi quid ad ſummum quoque luxum deſit, probroſum putatur: at egenti obulum negare frugalis hominis eſſe ducitur. Quid multa? Falſis opinionibus Mundus regitur: nec tam quid fieri debeat, quam quid ſoleat conſideramus.

Heic ego patris mei vitam non ſemel apud amicum meum conſiderabam, quo pacto is ſcilicet vſurariis ſuis artibus varios dolos excogitarit, ac quamplurimorum ſuccum & ſanguinem exhauſerit. Sed ô Deus bone! Quam multi *Honore periculoſi.*

Mer-

Mercatores vnà cum Matthæo publicano in telonio aut collybo eamdem occupant sellam, idque vnum agunt, vt omnium fortunas & opes ad se conuertant! Quot Iurisconsulti libros suos assidue euolnunt, singula excutiunt folia, pennas & linguas habent vænales, & exiguo labore inuidendas acquirunt diuitias? Sed quem scopum, putas, habent tam hi quam alij omnes qui in pecuniis congerendis ita misere desudant? quid alij ex Academiis recens progressi spectant, dum suum patrimonium aut exstruendis domibus, aut coemendis Nobilium prædiis impendunt? Nihil aliud profecto, quam vt nidos suos in alto ponaut, vtque ad summas dignitates euehantur. At quam multò melius iidem sibi consulerent, si fortunæ mediocritate contenti, quietam ac tranquillam agerent vitam! Quod namque frequen-

tiora

tiora ſpectacula hodie oculis noſtris obuerſantur, quam eorum quos Honores funditus euertetunt? Quocirca ſæpe dubitaui, num gratulandum iis eſſet, qui è tenui fortuna ad ſummas dignitates prouehuntur. Nimirum,

— Tolluntur in altum,
Vt lapſu grauiore ruant.

Sed in primis miſeratione digni ſunt illi, qui magnis negociis impares, vel vltrò grauia munera affectant, vel cæco quodam fortunæ impetu ad ea producuntur. Hi enim certum pænè hoſtibus ludibrium, amicis luctum, ſibiipſis exitium debent. Horum nihil mihi circumforaneam vitam *Libertas* agenti & in diem viuenti metuen- *vulgaris.* dum erat. Libertate gaudebam, illa quæ à ſapientibus tantopere commendatur, deſideratur à multis, à Poetis decantatur, quæque omnibus huius Mũdi diuitiis potior eſt. Sed & hanc mihi fortuna

K inuidit;

inuidit; dum asinariæ societatis pertæsus, aliud vitæ vel potius seruitij genus amplexus sum.

CAPVT X.

Gusmanus coquinæ se addicit: artesque ibi vsitatas describit.

Bene cō-sulentes male nō-nunquā consulūt.

IAM tergum meum oneribus ferendis assuefeceram, iam ob fidem & diligentiam omnibus passim & notus & charus eram: quum ecce Principis cuiusdam dispensator, qui ante opera mea sæpe vsus fuerat, seductum me monet, quanto rectius facerem, si circumforanea illa vita relicta, aliud agere discerem. Suadere ergo mihi, vt coquo Principis sui in aggerendis lignis, lauandis ollis, aliisque similibus ministeriis operam præstem: addens, Nō tam infecundam esse coquinariam artem quin multis & diuitias & honores pepererit. Quæ aliaq; multa ille

ille iis verbis animo meo inculcauit, vt consilio ipsius vti decreuerim: tanto magis, quòd, vtcumque res cecidisset, nec periculum nec damnum mihi timendum esset. Quid enim amittat cui nihil est? Adducor ergo ad coquorum magistrum: qui quamprimum me vidit, quamuis ante satis notum, statim superba voce inclamauit: Vnde nobis forensis hic senator, clitellariæ plebis tribunus, dux famelicorum? An tu forte aliqua re opus habes? Aut ideo venis vt mecum maneas? Me quidem non semel postea pœnituit, quod tam superbo sermone exceptus, non statim tergum verti. Sed incertus quid responderem, dixi, si opera mea vti velit, paratam fore. Et ille: Bene facis, faxo ne te consilij huius pœniteat. Sed quid? An scis facere officium tuum? Ego, Quidni? inquam. sed tuum erit monstrare mihi quid facere debeam, meum

Superbia plebeiorū.

meum obsequi, & iussa diligenter obire. Quo sermone delectatus archimagirus, sine vlla mora, pacto mecum salario inter ministeria me recepit. Et ego quidem, vt plerique facere solent, initio non heris tantum, sed familiaribus quoque sedulitatem meam mirifice probabam: tum nihil magis cauebã quam ne quid propalarẽ quo quisquã posset offendi. Obiurgatus, tacebam, nec vllum impatientiæ aut improbitatis signũ monstrabam. Hinc omnes me nõ solum fauore, sed donis etiã prosequebantur, sic vt iam multo nitidior mihi esset amictus, & feriatis præsertim diebus, honesti adolescentis species aliquo modo in me conspiceretur. Caput boni erat, quod hac ratione salarium mihi maneret integrum; sed omnis mei mali fons inde scaturiebat, quod dum sportulariam agerem vitam, lusibus me mancipa-

Boni famuli mus.

Incõmoda lusuũ.

ram,

tam, in quos etiam postea quidquid vndiq; corradere poteram, profudi. In arte coquinaria mirifi. è proficiebam; at multo magis in ludendi consuetudine, quæ ita animum meum occupârat, vt legitime acquisita deficiente pecunia, quidquid nactus essem inuolarem & venderem, ea tamen cautione, vt ne in furto aut fraude palam deprehenderer. Quod si quid forte domi harpagassem, id quæsito ad id loco commodo abscondebam: animaduertens vero me aliorum suspicionibus aut occultis sermonibus furti auctorem designari, id quasi forte fortuna aut dextro Hercule inuentum, in lucem rursus protrahebam. Sin alij rei arguerentur, peculio meo adscribebam. Sed lepidam audite historiam, è qua vna facile summam meam dexteritatem animaduertetis.

Factum est aliquando vt herus meus

Furtum illepide lepidum.

meus combibonum suorum nonnullos domum secum deduxerit, (erat enim Cereri & Baccho ita amicus, vt vix vllis aliis diis aut deabus supplicaret,) Hic quum illi & cum eis hera mea exquisitis ad id cibis sitim subinde exstimulantes, tã largiter sese ingurgitâssent, vt omnem sensum amisisse viderentur, & tandem à suis quisque familiaribus domum essent elati potius quam deducti: viso ad heros meos, eosque somno ac vino sepultos inuenio, porta aperta & mensis omni apparatu instructis. Sic aliquamdiu cum admiratione quasi stragem in prœlio factam contemplatus, lancem video argenteam, quæ humi iacens, rogare me videbatur vt se tollerem. Quod pietatis officium quum egenti negare nec vellem, nec possem, tamquam spolia legens, hanc potissimum mecum absporto, ac sine vllo strepitu in culi-

culinam me recipio. Nescio quæ lubido me tum inuaserat, herum ac heram ligatis ad lecti pedes pedum digitis, aut alio modo ludificandi: sed tandem alterum illud strategema velut lucrosius ac rationibus meis commodius magis mihi placebat. Mane quum surrexisset hera, & collecto omni vt positus manserat, apparatu, lancẽ illam argenteam desideraret, subito dolore correpta, altum exclamat, accurro, rogo quid rei sit. Tum illa, Ah mi Gusmanule, quãta mihi euenit calamitas! quãti mihi hesternæ constãt deliciæ? Miseram me, quod vino grauis, tibi mensæ tollendę, ac præsertim argenti recondendi prouinciam non demandaui. Ecce enim furto hac nocte lanx argentea periit. quod si rescificat maritus, procul dubio cruentæ plagæ mihi in mundo sunt. Hæc illa non sine lachrymis: quibus tamen ego neu-

tiquam mouebar, vt qui non semel audissem, lachrymantē mulierem ea commiseratione dignam qua anser media hyeme nudis pedibus ambulans. Ipse tamen vultum quoque ad tristitiam fingēs, operam meam ad omnia large polliceor. Quid si, inquam, here, aurifabrum aliquem adeam, & forma ac pondere similem lancem faciundam curem? Illa, Bene tu hoc, inquit; sed vnde pecuniam sumemus? Dubito enim valde num mihi in arca tātum sit. Offero ego omne meum peculium; & quod deesset, suppleturum me recipio. Sic facere iussus, lancem illam surreptam ad aurifabrū porto rogo vt detersis omnibus maculis, Lunâ nitidiorem reddat: & per ocium, quasi ex curiositate, quanti eiusmodi lanx cōstet, percunctor. Soluto expolitionis precio, domum reuertor, renuncio planè similem ac gemellam mihi lancem

Mulieris lacrymæ.

lamem apud aurifabrum quemdam repertam: simul precium indico. illa gaudens admodũ, Rem gratam, inquit, nuncias: & cubiculum ingressa, quantum numorũ habebat in arca profert, quod deerat, me supplere iubet. Effundo ego omne meum peculiolum; sicque prodiens, eadẽ cum qua exieram lance onustus domum redeo. Lætabatur illa, ego multo magis. at parum vtilis ac diuturna mihi illa erat lætitia. Scis illud, *Male parta, male dilabuntur.* illud certe tum ego sensi, vt cui intra paucos dies ne obulus quidem reliquus factus sit, omni pecunia eodem vesperi lusu absumta.

Sed non solus ego, sed reliqui omnes domestici, à summo ad infimum, Lauerniones, aut vt clarius dicam, fures eramus, benignam materiam suppeditante cuilibet ea re quæ fidei ipsius commissa erat, frumentis, vino, oleo, aroma-

tis, carnibus, lignis, &c. Et forte caussa illis non deerat, vel, vt melius dicam, occasio & prætextus, salarij nempe tenuitas, quæ tanta erat vt eo vix quisquam se, nedũ suos, alere posset. Quocirca non optime illi Magnates mihi facere videntur, qui tam exiguis domestica ministeria conducunt stipendiis, vt nisi de suo aliquid addãt, vix habeant vnde in res necessarias sumtus facere posint. Quis enim dubitet, omnia prius excussuros, quam vt deesse aliquid sibi patiantur? quamuis eo nonnulli sunt ingenio, aut ea conditione, vt si omnia agas, in omnes species te vertas, nihilo plus ab ipsis quã à nudo auferre posis. Sed vt intelligatis quam parci nonnulli sint in remunerandis etiam non debitis officiis, exemplum audite.

Notate auari domini. Nobilis quidam cum altero graues exercens inimicitias, & tã animi quam corporis viribus impa-

parem ſe ſentiens, famulum conſilio ac manu promtum códuxit. Nó multo poſt ab aduerſario obuiam facto inuaditur. Poſcit opem famuli, qui mox accurrit, & herum in fugam acto aduerſario, illæſum tuetur. Hoc in tumultu bonus ſeruus & pileum & enſis vaginam perdiderat: cuius damni ſarturam quum ab hero aliquamdiu fruſtra exſpectaſſet, alia ratione vlciſci ſe decreuit. Quum ergo rurſus cum hero prodiſſet, ecce rurſus aduerſarium, cum fuſte ad id præparato imminentē: quē vt conſpexit herus, ſerui auxiliū, quantum poteſt, inclamat: ille verò ne manum quidem ad capulum admouebat, ſed ocyus herum vapulantem ſpectabat. Expoſtulanti deinde ſic reſpondit: Tu quidem hactenus in eo debitum feciſti officium quod menſtruam mercedem ſoluis: ego in eo, quod huc illuc euntem paſſim comita-

tus, & alia quæ promiſi exſequutus ſum. Ad opera ſupererogationis, vt ita loquar, quod attinet, quùm tu tam parcus ſis, nec me liberalem eſſe oportet. Tu mei, immò tui cauſſi (nam tui cauſſa iacturam illam pilei & vaginæ ego feci) nihil vis impendere: ego pro te vapulare nolo. Sed ad oleas. Expertus ſum tū ego, quanti dominorum interſit fidos habere miniſtros: quos nulla alia ratione quàm humanitate ac liberalitate conciliare ſibi poſſunt. Ecquid namque fidum tibi fore putas quē viliſsimi loco habes mancipij, aut quem eſurire pateris? Mihi crede, omnia ille prius faciet, quam vt ſe deſertum patiatur. Quæ ibi ego viderim, longum ſit commemorare. Nulla ſane re maiorē ego tā apud herum quā reliquos commilitones gratiā inibā, quā quòd ea quæ mihi dederant, artocreas, placentas, carnes, piſces, vina omnis

Liberalitas fidem prouocat.

nis generis sedulo iis quibus iussus eram apportabam. I lud vnũ mores meos meque ipsum perdidit, quod aliorum exemplo illectus, & ipse quidquid poteram furabar, quod autem furatus erã, aut alia ratione acquisiuerã, chartarum lusui impendebam, ita clã tamen, vt magistro diu nihil suboleret, donec tandem in multam vsque noctem cum contubernalibus ludens, herus altercationis quæ inter nos orta erat, strepitu excitatus, me inter præcipuos deprehendit, & vnà cum aliis probè depexuit. Et dolorem quidem mihi afferebant verbera, sed multo magis me illud vrebat, quod omnem fidem apud herum perdidissem. *O perditi lusores.*

CAPVT XI.

Gusmanus reliqua quæ sibi apud Coquum acciderint, narrat.

NOn minor est virtus quam quærere, parta tueri. Tenebam iam ego quærendi victus artem non incommodam, & in heri gratiam me insinuâram: quam tamē diu retinere non potui, vt qui animum induxeram idem facere quod reliqui, nec cuiquam quidquam concedere. Sunt quidam tā felici (vt videtur) nati sidere, vt vitam meris furtis ac latrociniis transactam in lecto finiant; alij tā infelices, vt nondum iactis tyrocinij fundamentis, ob primum furtum statim infelici ligno suspendantur. Reliqui Principis nostri ministri in grosso (cum vulgo loquor) furabantur, atque inde ditescebant; ego hinc inde minutatim

Duo quū faciunt idem, nō est idem.

tatim aliquid decerpens, pauper nihilominus manebam. sic quod aliis veniale, mihi mortale erat peccatum. Non me, sed alios respiciebam, & furandi artem tam licitam mihi atque aliis putabam; nec in mentem mihi veniebat, illos iam veteranos, me adhuc tyronem esse. Non considerabam solos potentes, diuites, superbos, quibus Crocodili sunt lacrymæ, quique instar scorpionum, non ore sed cauda vulnerant, hanc habere prærogatiuam, vt quidquid fecerint non veniam tantum, sed & laudem mereatur: idem vero pauperibus ac mei census hominibus pro sacrilegio aut læsæ Maiestatis crimine imputari. Sensi tum verissimum esse quod ille dixit:

Dat veniam coruis, vexat censura columbas.

Vt ante herum, ita nō multo post heram, licet sine mea culpa, vt audietis, offendi.

Ve-

Ridicula fabula. Venerat ad Principem nostrum alius, in quo laute tractando vniuersa familia desudabat. Venatores inprimis & aucupes, domini iussu, culinam omni ferarum ac volucrum genere optime instruxerant: quarum magnam partem Coqui vxor mihi custodiendam tradidit. Omnibus diligenter, vt putabam, cõditis, cubitum eo: sed non multo post, dum cum armẽtis corporis mei pratũ depascentibus luctor, feles audio terribili gemitu quasi inter se digladiantes. In eo sane feles canibus non sunt absimiles, quod sine grunnitu aut murmure etiã solæ cibum capere non possunt. Hoc strepitu excitatus, In malam rem, exclamo, nequissimæ bestiæ, quæ ad penu nostrum depopulandum, & inde capiti meo creandum periculum venistis! Certe ego carnem meam pro carnibus illis non dabo. Simul propere e lecto ex-

silio,

filio, & ita nudus periclitanti ferinæ auxilium laturus accurro. Sed ecce iam hera me præuenerat, eodem excitata strepitu, quẽ maturius aliquanto ser ferat. Occurrimus alter alteri ad ipsos scalarũ gradus: & illa quidem non minus nuda erat quam ego (nocte tum admodum calente) cereum altera ferens manu, quem mox vt me conspexit, nocturnum spectrum rata, abiecit, & per scalas quam celerrime quasi subuolauit. Nec minor me inuaserat pauor, nuper mortui dispensatoris manes obambulantes imaginantem. Illa quidem tam altum exclamauit, vt vox eius per totam viciniam audiri potuerit: ego vero etiam num miror ad meam vociferationẽ totam ciuitatem non consurrexisse. Iam illa in lectum se recõdiderat: ego vero dum & ipse fugio, forte fortuna felium vnam pede calco, quæ instar canis rabidæ pedem mordi-

mordicus mihi arripuit, misere, vt propitij mihi Manes essent, clamanti. Tum demum è planctu meo & casu hera quid rei esset cognoscens, tremula adhuc vôce iubet, vt cubitum eam. Mane quum surrexissem, ante cubiculi limen, odoratu vestigans, purgamenta ventris video, per scalas quoque passim sparsa, tam male olentia vt nihil suprà. Ratus quod erat, formidine scilicet heræ aluum solutam, tum quidem (vt cui munditiei cura erat demandata) diligenter & limen & scalas abstersi: illud vero deinde quoque non semel miratus sum, quî fiat quod excrementa seu pauore, seu alio quodam subitaneo casu eiecta, multo fetidius oleant, quamquę naturaliter excernuntur. Quá quæstionem accuratissimis naturalium rerū scrutatoribus, qui nihil nescire volunt, discutiendam, adeoq; ruminandam ac masticandam

Quæstio physica.

dam relinquo. Non dubito quin omnes intelligāt, hic nullam meam interuenisse culpam: quæ nihilominus mihi luenda fuit. Ex eo namque tempore hera ne vno quidem aspectu me dignata fuit; id scilicet ægerrime ferens, quod nudam vidissem. Si tamen verum est quod è vicina, cui illa rem omnem narrauit, intellexi, non tam illam nuditatis suæ quàm alui lubricitatis pudebat. Orto iam sole, quum herus quoque, qui Bacchi percussus thyrso inter hæc securus stertuerat, è lecto prorepsisset, iubet vt focum instruamus, ollas aqua impletas igni adsituamus, salsamenta eluamus, & cætera faciamus: ipse interim ad placentas, turundas, tuceta, & id genus bellaria delicatissimam materiam depromit, nobis omnibus in sinū gaudentibus, quod in tanta ciborum multitudine, in tanta operarum festinatione, facile ipsos custodes

Ex magno aceruo fac lius aliquid deruitur.

ſtodes fallere poſſemus: eamq; ob cauſſam eiuſmodi conuiuia cum Iubilęis annis comparabamus, & ſic quoque nominabamus, quod plerique plenas inde Indulgentias domum abſportaremus. Aliorum exemplo cõuaſo & ipſe quæ poſſum; & inter alia oua quædam & carnium reliquias in caligis recõdo. Id conſpicatus herus meus, vt Aulę Præfecto, qui obambulabat, fidei ſuæ fidem ex mea perfidia faceret, exeuntem manu apprehendit, & iis maximè locis vbi oua recondita habebam, ictibus impetit, ita vt illis fractis, flauus humor albo permiſtus vndique è caligis meis, non ſine ſpectantium riſu, effluereť. Nihil propius fuit quã vt exclamarem: O te nequam & ſceleſtum hominem! Tu furtis tuis quotidianis non familiam ſolum ſuſtentas, ſed ædes quoque & fundos inſtruis: & me ob tam leuiculum delictum omnium & ludibrio

Aſtuta nequitia.

dibrio exponis & odio obiicis. Sed magis e re mea videbatur tacere, & iniuriam quamuis indignam dissimulare. Finito conuiuio, dũ cum hero domum redeo, ille tristem sic alloquitur: Proculdubio, mi Gusmanule, quod accidit, indignè fers: sed enim vt ita facerem, ex vsu meo plane fuit. Vt autem vulnus hoc aliquo modo leniam, cras nouis te donabo calceis. Et ego quidem iniuriam illam omnem bona fide ex animo deleui, & in posterum omnibus in rebus quam potui maximam diligentiam adhibui. Post paucos dies quũ herus multis apparatis artocreis alio concessisset, ego vero numis aliquot ad sequentis diei vsum opus haberem: è farinæ & carnium reliquiis & ipse artocream ita cõcinno, vt externa species cuniculũ plane referret: cum qua ad mercatum profectus, è rusticanis alicui imponere cogitabam. sed mox

Antiquũ obtinet Gusmanus.

aderat

aderat ſenex quidam canus & caluus: qui, facta iam conuentione de precio, dum baculum, quē manu geſtabat, proximæ apponit menſæ, dum chirothecas cingulo appendit, dum perſpicilla e ſacciperio profert, inde è theca depromit, eademque naribus imponit, iam duæ horæ prætererant; mox alteræ duæ, dum in marſupio numos quaſi in gurgite vaſto natantes piſcatur, dum eoſdem ſingulos perſpicillis admotos diligentius quā ſtellas Mathematicus contēplatur: hæc, inquam, dum fiunt, ecce herum meum à tergo quaſi adrepentem. quem vt vidi,

Senilis cūctatio.

Obſtupui, ſteteruntq; comæ, & vox faucibus hæſit.

ille vero terrifico vultu ac voce his verbis me increpat: Quid tu bonæ rei hic venale habes, adoleſcens? Hæccine fides illa eſt quam nuper mihi dederas, velle te fideliter ſeruire, & ab omni furto aliiſque

liisque illaudatis rebus abstineret? O improuidum dispensatorem, qui te mihi conciliauit; me vero multo insipientiorem, qui tamdiu alere te sustinui! Apagesis, puer nequissime, caue vmquam pedem intra limen meum ponas. Hæc dum ille mecum altercatur, senex ille ne pedem quidem decedebat, diligenter probris meis auscultās. Meipsum vero ita mei pudebat, vt oculis humi defixis, & lingua quasi ad palatum alligata, statuæ magis quam homini similis viderer. Poterā quidem & ipsi multa non minus turpia quam vera exprobrare; sed æquius ac decentius mihi esse putabam, hero parcere, qui licet ipse domini penū corbibus quotidie domum suam congereret, tantillo nihilominus delicto tantam pœnam statuit. Adeò satius est, audere aliquid breuibus Gyaris carcere & dignū, quā paruis ac nihili in rebus malitiam consumere.

CA-

CAPVT XII.

Gusmanus ad priorem statum redit, & mira arte magnam vim pecuniæ sibi acquirit.

Scientiæ laus.

AIunt vulgo, *Melius esse sapere quam habere.* Fit quidem vt fortuna parum propitiam se ostendat: at scientia hominem numquam deserit. Facultates indies consumuntur; sed crescit scientia. & pluris est pauperis sapientia, quam omnes opulentorum diuitiæ. Veteres quidem Fortunam, in cuius potestate terrenę opes sitæ putantur, variis modis pinxerunt, quibus tamen omnibus summa eius instabilitas denotatur. Diuitiæ perinde sunt, vt animus qui eis vtitur. Si bonus hic bonæ illæ; si malus, malæ. Idem de bona & mala Fortuna dicendũ. Sed tãta est eius, vt dixi, incõstantia,

ſtantia, vt quum maxime ſplendet, frangatur plerumque: & vnum eundemque hominem variis perſonis indutum in Mundi hoc theatrum producat, aut vt melius dicam, protrudat. Quammulti ex ſummis diuitiis ſubito in extremam paupertatem ſunt delapſi? quam multi è maximis dignitatibus velut fulmine deturbati, in fœdiſsimum infamiæ cœnum demerſi ſunt! Contra omnes vero Fortunæ ictus nulla ex re tutius peti poteſt præſidium quã ex Virtute & Doctrina. Hæc in pauperibus argentum eſt, in opulentis aurum, in Principibus infiniti precij gemma. Periculoſiſsima Fortunæ præcipitia ſapiens illæſus ſuperat; at indoctus ac rudis etiam in plano labitur. Non eſt tantus in terra labor, non tanta in mari procella, non tanta in aere tempeſtas, quæ ſcientia vinci non poſsit. Sed quorſum hæc,

inquis, Gusmane? Quid tu tam mirificis laudibus scientiã effers? Sed audi, cur scientiam ego non laudem, qui eam totam sportula conclusam tergo gestabam: neque enim vllam aliam rem ego sciebam, nullam aliam artem noueram, quàm velut clitellarium iumentum tergum meum oneribus ac sarcinis ferendis submittere, nisi addere velis, ludere, furari, & quæ aliæ sunt circumforaneorum artes. Hæc vna scientia non minus quam Demostheni eloquẽtia, aut Vlysi prudentia pastum vberem ac cetera ad vitam necessaria mihi pariebat. Ingenio eram nõ malo, nobilibus natus parentibus, illud nec celare nec perdere poteram. sed nulla in re magis elucebat quam patienter ferendis iniuriis quibus animi fortes maxime tentantur ac probantur. Egon' vnquam putâssem talem mercedem pro tam fideli opera mihi solutum

Gusmani scientia qualis.

tum iri? Ah, ob tantillam rem quemquam cum tanto probro eiici ac profligari! Quid faciam, cogitabam: quò ibo, quid me fiet? Me quidem intentis digitis non vt alterum Demosthenem, sed vt nuper in furto deprehensum, omnes commonstrabant, nemo autem in familiam recipere cupiebat. Quam male, putas, actum mecum fuisset, si hac quoque Picarica scientia fuissem destitutus? Tanti scilicet est qualemcumque artem didicisse. Iam sine honore, sine nummis, sine certo domicilio oberrabam, lacer, seminudus: omnibus tamen amissis, scientia mihi restabat integra, non illa quidem Philosophica, sed circumforanea, qua vnicuique operam meam expetenti inseruiebam, frugaliter interim cibum ventri meo dispensans, qua sobrietate id effeci, vt semper corpus sanum ac robustum, & loculos non inanes

haberem. Ebrietatem ſedulo fugiebam, turpitudine eius quam in ſodalibus meis nonnunquam videbam, deterritus. A luſu quoq; abſtinere decreueram: ſed neſcio quomodo ceu torrente aliquo ſemper abripiebar. Sæpe ego mecum cogitaui, qui fiat, vt quum ſemper probi eſſe deſideremus, nunquam tamen probi ſimus, & quod omnibus fere horis nobis proponimus, ne ſemel quidem exſequamur. Sic tandem deprehendi, ita allubeſcere præſentia, vt tam futurorum quam præteritorum obliuiſcamur. Id quidem non tum modo, ſed poſtea quoq; in meipſo expertus ſum. Vitium hoc in me agnoſcebam, nec ei tamen medebar. Victui interim quærendo diligenter inſudabam quoad ingeniũ & occaſio permittebat. Accidit interea, vt miles i Italiam tranſportãdus conſcribe retu

Cur pauci ſe vitamq́; emendēt.

retur. quod quando fit, præconis voce proclamatur, aut publico edicto militiæ nomen daturis significatur. O quanta tum me inuaserat cupiditas tam Italiam quã cognatos meos visendi! Sed & illud mirifice me ad militiam accendebat, quod non nescirem, etiam vilis conditionis homines & lenonum pueros, vbi ad exteros venerint, militari professione ac habitu statim nobilitari; tũ, quod caput est, rusticanos, apud quos hospitia habent, homines pro lubitu seruilem in modum tractare, victum aliaque omnia non exposcere modo sed & extorquere, adeoque paruulorum tyrannorum modo moreque agere. Vnum me deterrebat, quod pannosum me ac lacerum viderem. Dies ergo noctesque eam in cogitationem incumbebam quomodo defectũ hunc supplere possem. Sciebam Italorum prouerbium: *Si volete* *essere*

Militaris disciplina.

ussere Papa, stampate lo en la testa. Si Pap a esse velis, cogitatione seu imaginatione tibi eum finge.

Dum animus meus totus hac cogitatione occupatur, ecce in statione mea sedens, vocem audio seu euangelion potius cuiusdam Gusmanulum inclamantis: A desdum Gusmanule, cum tua sporta. Exsilio promtus, & circumspiciens, Aromatarium video ante fores Pharmacopœi stantem. Ad quẽ vt accessi, ille duos culeolos auri & argenti plenos, sportulæ tergo meo appensæ imponit, & vt sequar iubet. Ita præeuntem per plateas aliquot sequar: tandem vero quum in angi portum venissemus, explorata diligenter locorum regione subito aliam insisto viam, & sine vlla magica arte inuisibilem me facio, quà maximè commodum mihi videbatur, ad portam vrbis properans; qua egressus, non regiam insisto viam,

sed

ſed inuia quæque conſectans, eo die duo emetior milliaria, & per inculta vagans, tandem in vepreta quadam deferor, in quibus triduum fere, pauco pane, quẽ ſportula mecum attuleram, & aqua è proximis lacunis hauſta interim victitans, delitui, vſquedum ſcilicet lictorum, quos in me tamquam fugitiuum leporem immiſſos non fruſtra imaginabar, impetus deferbuiſſet. Vbi iam tempeſtatem præteriiſſe mihi perſuaſi, tamquam nitedula è latebris prorepo, ignotum argenti pondus & auri centunculo inuoluo, ſportaque relicta, & quantum poteram mutatis veſtimẽtis, in viã rogredior. Quũ Toleto vno fere milliari abeſſem, illaque cura me diſcruciaret, quomodo furtum illud meum quam maxime occultum habere poſſem; ad quod nihil cõmodius mihi erat, quam bonus ac decens veſtitus: ecce in via puerũ

video (sublustris enim nox erat) tam statura quam ætate mihi coæqualem, sub arbore quiescentē. Sarcinæ pondere quæ iuxta iacebat, grauatum animaduertens, & ipse onere paruo quidem, sed graui pressus, sub arbore me sterno, & habito vltro citroque sermone, intelligo, meæ farinæ esse hominem, Toletani ciuis filium, & conuasatis quas poterat rebus, à parentibus aufugisse, noctu quidem viam regiam incedere, interdiu vero per deuia errare. Quæro quid in sarcinulis habeat. Profert ille vestimentum non inelegans. Licitor: conuentum precium soluo, non sine illius admiratione, quod tantum argenti (quamuis sedulo totam massam, quo opus erat digitulis duobus tantum decerpens, occultarem,) vili centunculo inclusum videret. Et ille quidem conditis in peram numis, iam oneris parte leuatus, viam suam

am prosequutus est; ego iam albescente cœlo, & ipse viam Toletũ versus insisto, & vrbem ingressus, hospitium quam maxime rationibus meis commodũ quæro.

CAPVT XIII.

Gusmanus Toleti amoribus dans operam, turpiter circumducitur. Vbi notantur fraudes meretriciæ, & simplicitas iuuenilis.

TAM scitum quam tritum est diuerbium, *Simiam esse simiam, etiamsi aurea gestet insignia.* Quod quidem tam verum est quã quod verissimum. Potest quis purpura & auro se inuoluere, sed non virtute; sericis vestibus corporis, at non morum turpitudinem tegere ac velare. Me vide. Paullo ante lacer eram, pannosus, squallidus, contemtus: at Toletum vt veni, repente quasi alius factus,

Vestitus ingenii & mores non mutat.

factus, magno in honore eram, quum tameu multo essem quam antè deterior. Statim namque vestes illas quas ab adolescente quē dixi, emeram, ita reconcinnari curaui, vt ne iis agnitis, periculum mihi crearetur: tum alia ornamenta adieci. quin etiam puerum seu famulum mihi conduxi, vt Magnatis alicuius filius omnibus viderer. Sic circumspectans me ac rotans quasi pauo, plateas omnes perambulabam: tamque mihi in nouo illo vestitu placebam, vt noctu eum deponere mihi quodammodo graue esset. Dominica quadam dum, audito sacro, in templo magnifice me ii ferens, obambulo, in proximo sacello feminas quasdam video, mores meos, statū, incessum, quasi ardelionis, notantes; quas ego statim amore mei captas augurabar. Et earum vna quidem defixis oculis me intuebatur, sed animus me

Iuuenilis superbia.

me ad aliam ferebat: quam templo egressam, pone ad domiciliũ vsque sequutus sum: illa nonnunquam in via respiciens, innuere mihi, tandemq; ædes ingrediens, arridere etiã ac pro comitatu gratias agere visa. O quantũ vulnus nutus ille ac Venereus risus, tamquam fulmẽ aliquod, animo meo inflixit! Quam cæcus ignis in iuuenili meo pectore exarsit! Stultus ego quoque eam insanire amore mei putabam: quum tamẽ, si mens non læua fuisset, fere palam irrisum me facile potuerim agnoscere. Digressus inde, puellam video à tergo sequentem, mihique innuentem. Consisto, atque etiam obuiam eo. Tum illa longum sermonem exorsa, ait, Nobilis feminæ ancillam se esse, quæ miro desiderio teneretur sciendi, quis & cuiâs essem: quod si ad illam venire non grauarer, gratissimam rem me ipsi facturum. Quis me

Basilisci aspectus.

Artes meretricia.

tum lætior? Adonis mihi videbar; immò Magni illius Alexandri fortunam præ mea contemnebam. Viden' quid pecunia faciat & paullo ornatior vestitus. Antea vix cuiusquam viri, nedum feminæ aut puellæ vultum contemplari audebam: nunc bene numatus, quamuis illegitimo plane modo, ac superbè vestitus, vltro omnium feminarum amores sectabar, immò, tamquã alter Pyrgopolinices, vltrò ambiri me mihi ipse persuadebam. Sed in orbitam redeo. Dum ancilla multa alia ad amorem heræ suæ spectantia in via mecum loquitur, iam ad hospitium meum deueneramus: quod diligenter illa notauit, atq; ita humaniter à me dimissa, discessit. Tanto autem minus ego ad hunc amorem propendebã, quod quæ aut qualis illa femina esset nesciebam: illam quæ nictu suo ac risu me vulnerarat, vnice cogitabam.

Cupimus clausa.

gitabam, atque etiam somniabã. Quoties ego ædes illas vnde fulmen illud in me ceciderat, prætерij? quoties fenestras ita aspectaui, vt in sublime volantibus meis curis ac cogitationibus, nescirem an humi ambularem! Sic est. oblata fastidimus, clausa & vetita cupimus. Tandem dum miserè ardens circa ædes illas oberro, feminam illam, mali mei materiam, è fenestra video prospectantem. Accedo. illa summissa voce ad cenam me vocat. Mitto puerum ad forum. præpinguem gallinam, binas perdices ac turdos, cuniculũ, & præstantissimi vini lagenam emere iubeo, istaque omnia in cenam apparanda mitto. Ad condictam horam intromissus comiterque exceptus, in cubiculum non ineleganter apparatum deducor: ibique variis sermonibus habitis, quos illa data opera in longum extraxerat, quum iam cenæ tem-

pus esset. rogo vt mensa apparetur. Causam vero properãdi mihi dederat sermo illius, quo inter alia iecerat, fratrem sibi esse, hominem illaudatis moribus: qui ebrius nonnunquam domum veniens, mala incœptaret facinora. Hæc dum illa loquitur, strepitum audimus ianuam pulsantis ac pænè effringentis. Tum illa misere circumcursare, ringi, ac perditam se clamare, quam amasio reperto, ille iamiam morti traditurus esset. Attonitus ego, vix sanguinis guttam habebam. rogo tandem, quid me facere vellet. illa, monstrata ingenti hydria vacua (quæ viri capaces in Hispania efformãtur) in illam correpere me iubet. Obeo iussa. illa tota tremens (ô muliebrem astutiam!) fratri fores aperit, qui domum & culinã ingressus, nidore perdicum ac turdorum in veru stridentium percepto, Quæ, inquit, hæc res est? quis

Item sic latur.

quis hic nuptialis est apparatus? Quid tu moliris, mea soror? An sic honorem parentum ac familiæ nostræ tueris? quæ, posthabita generis tui nobilitate, ignobili sorte alicui prostituere te cogitas, qui tamquam Veneris proludiũ hæc ad te miserit. Hæc quum ille stentorea voce declamasset; illa nescio quid submurmurans, diligenter, vt mihi quidem animaduertere videbar, sese excusat. Quid multa? strepitus mox omnis deferbuit. & illa, & frater cubiculũ ingressi, procul dubio cenam meis sumtibus paratam absumserunt. Cetera quæ fecerint, nescio: hoc scio, me etiam in hydria illa totum sudasse, atque interea dum illic tamquam balenæ ventri inclusus desideo, sæpe sæpius, amoto operculo, tamquam cochleam è testa caput protulisse, dum quotiescunque illam altius tinnientem, sputantem, tussientem

Alterius sumtibus parata alter absumit.

tem.

tem audirem, mihi nescio quod ſymbolum aut ſignum mox aduenturæ dari ſtultiſsime perſuadeo. Tandem quum altum vbique eſſet ſilentium, è latibulo prorepo, & exitum quæro: quo non reperto, iterum me condo, donec cœlum albeſceret. ſic ipſa luce viam mihi monſtrante, inuiſis exeo ædibus. & in hoſpitium re reſſus, ventre famelico, quum alij iam ſurgerent cubitum eo, è ſomno ægritudini meæ quærens ſolatium. Sed profectò ſomnium magis illud erat, quam ſomnus: vt in quo iam me, iam feminam, iam fortunam incuſans, vix vllam animo quietem indulſerim.

Alter aries Guſmano admotus. Iam dies erat: & ecce ſtrepitus ianuam pulſantis: qua aperta, ancillam video eius feminæ, quæ, vt ante dixi, vltro me accerſierat. Ait illa, Heram ſuam adeſſe, & mecum loqui cupere. quod ſi ad illam venire dedignatus eſſem, ſperare

ſperare non grauate me laturum, quod illa ad me venire non erubeſceret. Id enim formæ meę forte etiam nobilitati deberi. Amoto puero, ingreditur vtraque. ego paullisper caput è puluino tollés, in poſita vt iuſſus fuerat à puero ad caput lecti ſella matronam vt conſideret oro. Qui tum noſtri fuerint ſermones, vix etiam ipſe recordor, niſi hoc, me ad omnia quæ interrogabat, ne vnum quidem verbum quod verum eſſet reſpondiſſe. Tandem illa è theca precioſa nonnulla profert cimelia, annulos, gemmas, inaures, monilia, armillas: & vnius quodcunque vellem eligendi facit potestatem. Recuſo ego, & gratiis actis, ſat mihi & eiuſmodi rerum & aliarum opum eſſe, aio. Grauiter hoc illa, vt videbatur ferens, dum expoſita in thecam recondit, quaſi ſubito obſtupefacta, vnum è chariſsimis deeſſe ſibi ſceleſta mētitur, *O nequam.*

titur, etiam in planctum fere erumpens. Iubeo ego bono esse animo, & si quid perdidisset, precio aut alio simili dono me compensaturum recipio. illa quasi aut verbis meis fidem non habens, aut mœrore iritata, è cubiculo prorumpit : ait, domi se quæsituram quod desideraret, (forte enim ibi relictum) quod si inuenerit, renunciari mihi curaturam, vt quieto sim animo; sin minus, non cupere tamen vt ego vel obulum exponam. neque enim quidquam mihi adhuc à se contigisse, quod vlla beneuolentia, necdum munificentia dignum sit.

Dolens igitur eam sic male contetnam à me dimitto, vt cuius forma mirum in pectore meo incendium excitârat, qua si potirer, rex mihi videbar. Non multo post redit ancilla. nunciat, ab hera omnes ædium angulos excussos, amissum tamen nullibi repertum.

pertum. Inde plane existimare, in meo periisse cubiculo. Pari ergo studio, ego, puer meus, ancilla, accensis cereis, id quod numquã amissum erat quærimus: sed quum frustrà fuissemus, ancillam domum remitto, cum mandatis, vt heram bono esse iuberet animo, damnum hoc propediem resartum iri. sed versutissima ancilla mihi dicere, vix se in heræ conspectum redire auderc: rogare, vt si quid gratum velim heræ facere, sine longiori mora facerem. tanto acceptius fore subitaneum munus. Quid facerem? Pudebat me vbi pudore opus non erat: at vbi pudere oportebat, deserebat me pudor. Adeo cum ancilla aurifabrum, eique annulum viginti scutatis emtum ad heram perferendum trado. Quod illa sedulo facturam se, effecturamque vt hera ipsi præsens præsenti gratias ageret, recepit: sed neque illam, neque

neque heram postea videre mihi contigit.

Iuuenilis inprudentia. Miraris forte, exemplo hoc cautiorem me non factum. Equidem & ipse miror: sed nescio quomodo cum Medea dicere poteram,

Video meliora proboq;
Deteriora sequor.

Sumto prandio, inter varias cogitationes deambulatum prodeo. Hic dum tabernam quamdam prætereo, alteram illam feminam video, à qua delusū me supra dixi. Quæ vt me vidit, nictās oculis me vt sequar inuitat. Hîc ego exsultans gaudio, magna cum alacritate sequor præeuntem: quum autem in tabernam media fere platea ingressam viderem, ingredior & ipse. Iam illa pretiosi panni aliquot proferri iusserat volumina: è quibus quum vnum elegisset, tandem eò flectit sermonem vt diceret, numos quidem sibi in promtu non esse, rogare vt certum

certum tempus solutioni destinet. ille, Non notam sibi esse dicens, ciuiliter se excusat, & allegata pecuniaria inopia, præsentaneis sibi opus esse numis, contendit. Tum illa mecum tacitè colloquens, ante omnia, quod nocte illa tam misere frustra fuissem, blandissimis verbis sese excusat. Quibus ego fidem habens, vt pudori eius succurrerem, mercatorem alloquor, &, O te simplicem, inquam, qui matronam hanc tam nobilem, tam diuitem, cuius ego quæstor sum, beneficium hoc tibi velle debere existimas. Satis superq; argenti & auri: ni eis quos ego habeo, est loculis. simul cum dicto, quot plena manu capere poterā scutatos depromo, & mercatori panni precium numero. Prudenter ego feminam agere arbitrabar (& vero eiusmodi strategemata tali generi vsitata sunt) in antecessum quasi amoris pignus

gnus à me accipiendo, ne forte, vt fieri nonnunquam solet, à me amoris saturo postea ludibrio haberetur: nec dubitabam, quin hoc tam vltroneo ac forte insperato ipsi beneficio mihi quàmaxime fecissem obnoxiam. & profectò etiam numos illos, quos, vt audîsti, duabus his impendi feminis, multo melius ac pulcrius collocatos arbitrabar, quam si Indicæ negociationi, quæ maxime lucrosa esse solet, concredidissem. Illa gratiis mihi quam amicissime actis, iubet vt ad horam octauam vespertinam præsto sim, vberrimum beneficij mei fructum capturus. Nulla dies mihi longior visa; qua præterita, vadimonium obeo, tesseram acceptam edo, screo, tussio: tandem etiam fores pulso; sed idem erat, ac si Alcantaræ pontem saxo percussissem. Quum cogito, non ædes illæ erant, sed sepulcrum. adeo ne

gry quidem audiebatur. Pertinax tamen ad mediam noctem vsque persisto, inter spem ac metum hærens: quum ecce lictores video ac turbam multam cum fustibus & laternis. Secedo in angulum, quid rerum illi gesturi essent inde prospecturus. Pulsant fores. quum non aperirentur, effringunt, irrumpunt in ædes, omnes angulos peruestigant. accedo propius, & animaduertens non inuenire eos quod quærebant, non semel impetum cepi exclamandi, vt hydriam (in qua ego latueram) inspicerent: atque inde quam celerrime aufugiendi. Sed tandem exitum opperiri constituens, dum paullo diutius exspecto, scribam quemdam, quem illa fratrem suum mentita fuerat, vnà cum muliere seminudos, ita vt reperti fuerant, in carcerem abduci video. Ego nescio maiorem molestiam an lætitiam ex hac re ceperim. Indigna-

dignabar me tam indignis modis habitum ac sperata voluptate fraudatum; gaudebam econtra me ædibus illis exclusum, captiuitatis periculum vitasse.

Sera pœnitentia. Iam spes mea omnis in alterius illius, quem itidem, vt mihi persuadebam, liberalitate mea demerueram, amore erat posita: sed quum nescirem vbi illa habitaret, neque illa mihi quidquam renunciaret, pœnitentia animum meum subire cœpit, cogitantis, ô quanto melius pecuniam tuam collocasses, si ea quinquaginta oues tibi emisses! Quum sic desperabundus media nocte in hospitium rediissem, à puero meo intelligo eadem nocte à lictore in hospitio nostro nescio quem quęsitum. Suspicans ego ne aromatarius me persequutus esset, iterum me proripio, & puerum opperiri me vsque in crastinum mane iubeo. Sic hinc inde obambulans totam

totam illam noctem inter varias curas & sollicitudines transegi. Vt vero diluxit, domum redij, eo consilio vt & vestitum & domicilium mutarem, postquam vero intellexi nō me sed alium à lictore illo quæsitū, in forū iui, ac duos mulos mercatus, propere Toleto me proripui, vbi tā turpiter auro emunctus, nec ipsas quidem ædes sine indignatione poteram aspicere.

Eo die Orgazzum, atque altero Maluginem profectus sum, somno tam plenus, vt ex præteritarum aliquot noctium, dum stultissimus amores frustra sector, veternum aut lethargum contraxisse mihi viderer. Malugine quum essem, è somno quasi excitauit me formosæ admodum in hospitio puellæ aspectus, quæ ita famulabatur, vt nec ancilla, nec filia mihi videretur. Hæc quū sarcinulas meas in cubiculum de-

Gusmānus muliebri astu rursus decipitur.

M por-

portasset, comiter à me salutata, non minus comiter respondit. Commoda hæc mihi visa ad quã admouerem arietem. Quid multa? Conuentum tandem inter nos, vt quãprimum herus & hera cubitũ iuissent, ad me illa veniret. Ego vt tanto magis ipsam demererer, inter & post cenam ex omnibus qui appositi erant cibis aliquid ei dedi; tum melioris vini haustu non semel eam inuitaui, nec illa humanitatem meam aspernari visa: tantũ quotiescumque arripere eam & ad me trahere conabar, refugiebat. Dum ita cum leuiter renitente luctor, sella in qua sedebam fracta, humi prouoluor: parumque abfuit, vt caput grauissime læserim, atque etiam meoipsius pugione, qui vagina mihi exciderat, induerim. Dissimulato, quantum facere poteram, dolore, rogo an condictum obire velit vadimonium. Annuit illa

ita

ita tamen vt quod vno verbo dixerat, altero negaret. Ego quum summo mane iter prosequi destinâssem, iussi vt puer crastinum pabulum pro iumentis à promocōdo peteret, tum hoc & sarcinulas in meum cubiculum comportaret, vt ne quid nobis in mora esset. Cena perfunctus, cubitum eo; & quamuis somno marcens, frequenter tamen, puellam adesse suspicans, euigilo. Tandem quū iam in vtramque dormirem aurem, hospitis asina per ædes obambulans, ad cubiculum meum peruenit, & hordeum odorata, caput per fores, quas de industria apertas reliqueram, vt puellæ pateret aditus, immittit, pabulo meis iumentis præparato insidias struens. Dum sic stolida bestia introitum molitur, ipsas fores percutit; quo strepitu ego excitatus, puellam iamiam amplexurus, erigo me, & submissa voce

eam ad me voco. Voce mea exterrita asina consistit, & immisso in hordeom ore, tuburcinari incipit. Ego puellam in tenebris errare credens, surgo, &, Eia, inquam, mea vita, mea animula, adesdum: candidissimas illas tuas manus mihi porrige, vt ad lectum te deducam. simul dum dextram extendo, genu in caput asini impingo: quod ille magno impetu eleuans, pænè dentes omnes mihi excussit: sanguis certè vbertim ex ore mihi profluxit. Irâ ego insaniens, vix abstinere poteram quin pugione nequissimam bestiam interfecerim. Sic sanguinolentus, amore in malam rem facessere iusso, ad lectum redeo, & somno me reddo.

(***)

CAPVT XIV.

Gusmanus Almagrum profectus, militiæ nomen dat.

QVVM sequenti die in multam vsque lucem dormiuissem, dum puer iumentis pabulum prabet, ecce puella cubiculum intrat: statimque subridens vltro se excusat quod nocte illa ad me nõ venisset, ab hero cubiculo inclusam se dicens. Ego, Quid te impediuerit, soror Lucia (id ei nomen erat) nescio: hoc scio ob amorem tui periculo primum, nũc etiam dolore non leui me perfunctum. Sed valeat Amor. Tu ientaculum nobis para. abit illa, tristitiam vultu fingens; sed proculdubio interim simplicitatem meam tacita secum irridens. Surgo, ac sumto ientaculo, mulam adduci iubeo: quæ dum conscensurus *Infelix lubido.*

 à tergo

à tergo circumeo, calcibus ita me perculsit vt aliquamdiu exsurgere non potuerim. Tandem subleuatus, iamiam abiens, Ergo, inquam, in hoc hospitio nihil feminini est generis, quod non nequam sit vel insaniat, etiam ipsa mula? In via puero narro quomodo puella me ludificata sit: qui, etsi ætate aliquanto me minor, simplicitatem meam pleno ore ridebat. Dum ita prouehimur, hominem videmus præeuntem, quem è vestitu domino alicui famulatum coniiciebam. Post verba aliquot vltro citroque habita, & ipsum in ministerium recipio, ac nobiscum progredi iubeo. Interim puer dum calente iam sole, sitiens, lagenam, quam ephippio appensam circumferre nobiscum solebamus, quærit: ea vero non comperta, Credo, inquit, ille alter, ab hospite aut puella vobis surreptam, vt opidi huius memoriam

Malugini elogium.

riam

riam vobis quoque celebrem redderet. Ego quæ, inquam, illa est celebritas? Memini quidem nescio quod dicterium audisse: sed quia tu, mi Andrea (hoc mihi nomen suum dixerat) sine dubio & illud & eius originem nôsti, quæso, vt nobis quoque explicare non graueris. Ille, quamuis, inquit, eodem morbo quo puer laborem, & verba per arentes fauces vix viam inuentura sint, lubenter tamen, omissis fabulis, rem ipsam ex fide digna aliorum relatione narrabo. Dicterium vero tale est: *In Malagone, in ogni casa vn ladrone: & in quella dell Alcalde, il figlio e' l padre.*

Anno millesimo ducentesimo trigesimo sexto, Ferdinando S. in Castilia & Legione rerum potiente, secundo post Alphonsi regis mortem anno, dum sanctus ille Rex, Hispalensi occupata vrbe, Beneuenti die quodam prandet, nunciū affertur Cordubam quo- *Origo prouerbij Malugitensis.*

que, nec non arces circa Burgum, quas Aſſarquias vocant, à Chriſtianis in poteſtatem redactas: ſed affluente indies Maurorum multitudine, præſentaneis opus eſſe auxiliis. Eodem nuncio ad Aluarum Perezium de Caſtro, qui Martis erat, & ad Ordeonium Aluareſium, præcipuæ familiæ equitem Caſtuloner ſem, itemque ad alios magnates perlato, dici nõ poteſt quanto ſtudio omnes rem Chriſtianam adiuuandi exarſerint. quamuis ego anni tempus (vtpote media hyems) expeditioni valde aduerſaretur, Rex tamen ad iter ſe procinxit; & cum centum tantum equitibus profectus, ſubditis quamprimùm ſequerentur mandauit. Rege profecto, continuis fere pluuiis impedito vndique itinere, e diuerſis regionibus magna Maluginem confluxit militum manus: ita vt per ſingula hoſpitia ſinguli mili-

tes

tes distribuerentur: oppidi vero Præfectus seu Prætor, quem *Alcalde* vocant, ipsum tribunum vnà cum filio, quem vt signiferum secum duxerat, excepit. Absumta fere omni alimonia, miles vndecumque poterat, victum corradit; tam foris, quam intus & hospitia expilans, & viatorum loculos excutiens. Fortè tum ciuis quidam Maluginensis Toletum proficiscens, in via rogatus, quomodo res se Malugine haberent, illud quod supra positum est dicterium respondit:

Signori, quel ch' è di nuouo in Malagone
E' che in ogni casa si troua vn ladrone:
E' in quella dell Alcalde,
Vi son il figliuolo e' l padre.

Videtis, inquit, quanra optimis ciuibus fiat iniuria. neque enim istud de ciuibus, sed de hospitibus, militibus scilicet dictum est. Hæc

 ille.

ille. Iam vos ego, quotquot eiusmodi habetis hospites, testes aduoco, quod de Maluginensibus dictum est, an de vestris quoque dictum putetis?

Hæc illo disserente Almagrum peruenimus, quod oppidum ingrediens, è fenestra recens vexillum video dependens. Hinc certus conscribi milites, in hospitiū quam lautißimum diuertor. Percunctanti hospiti quis & cuiâs essem, Ioanni Gusmano de Toral mihi nomen fingo: eaque nocte cena largiter sumta, vires tot noctium vigiliis & vanißimis curis afflictatas, quietiore somno restauro, non iam Venerem sed Martem somnians. Mane militum accedo tribunum, qui tam ex vestitu & comitatu quam hospitis relatione, Magnatis alicuius me filium existimans, humanißime me excepit, & vt secum esse vellem orauit. Accipio conditionem;

nem: & vt opinionem de me conceptam tuerer, sumtus quam largissime facio, non aliter ac si alterum Aromatarium & sportulam argento plenam in promtu mihi viderem. Ipse etiam centurio, homo non tam numatus quam fortis mea liberalitate gaudebat: quã pari comitate ac liberalitate quoque prouocabat. Celeriter absumta omni fere quae mihi è superioribus naufragiis reliqua erat pecunia, ecce Commissarium recensendo militi à rege destinatũ: qui iuuentutem meam (imberbis enim adhuc eram) caussatus, nomen meum inter conscriptos recipere recusauit. Hîc ego dici non potest quanta ira exarserim. Vide quantum inter nudum ac bene vestitum & numatum intersit. Non ita pridem etiam à vilissimis hominibus pugnis depexus, cubitis expositus, hiscere non audebã: nunc tantam iniuriam, vel poti- *Barba nõ facit virum.*

us iniuriæ ſuſpicionem adeo ferre non poteram, vt eam ne Regi quidem condonare voluiſſem. Indignatione ergo & ira plenus, Fateor, inquam, domine Comiſſarie, ætatis mihi non valde multum: animi ſatis ſuperque eſſe ſcio. Barbam non habeo, at manũ qua aliis euellam. Aetatis defectum animi magnitudo supplebit. Ille regis mandatum prætexens, ciuiliter ſe excuſabat. Sed Centurio inprimis, iniuriam hãc non mihi ſed ipſi factam aiens, multis verbis deprecatus eſt, vt omni depoſita indignatione, contubernium (ita enim loquebatur) non recuſarem: de ſuo ſtipendium, & multa alia quæ præſtare nec vellet nec poſſet, mihi pollicitus. neque enim adhuc ſciebat loculos mihi plane euiſceratos. & ſane paupertatem meam diligentiſſime ego celabam, & priſtinam affectabam liberalitatem,

par-

parcius tamen multoque cautius quam antea. Dum nauium quæ militibus in Italiam transportandis destinatę erant aduentum prę stolamur, sumtibus nō sufficiens, puerum & ministrum dimitto. Tum intellexi, non minus feram quam miseram esse in fundo parsimoniam. Ah (cogitabam) quis malus te genius in Amorem perpulit? cui vestitum & pompam immoderatam, cui tot alios sumtus tam imprudenter, immò turpiter factos imputabis? Quid iam mihi prodest ipsi Centurioni sic meas opes ostentâsse? Iam sentiebam minus me gratum & Centurioni & reliquis omnibus. Momẽto omnis illa, quam liberalitate, vel potius prodigalitate mea mihi comparaueram, gratia disparuerat & disperierat. Iam in me verissime dici illud poterat: *Cum fortuna statq; eadit q; fides.*

Diues eram dudum, fecerunt me tria nudum,

Alea, Vina, Venus: tribus his sum factus egenus.

Sed illud longe grauissimum mihi accidit, quod vnà cum numis amicos mihi omnes periisse intelligerem. Iam & Centurio & reliqui amicitiam meam aspernabantur: & quem Don Ioannem de Gusman antè, iam Gusmanulum appellabant: quinetiam ipsi gregarij milites, quos vix aspectu paullo ante dignabar, contemtui me habebant. Mihi quidem nullum aliud restabat remedium, quam vt dissimulatis omnibus iniuriis mussarem, Centurionis interim gratiam, quantum fieri poterat, omni seruitiorum genere sartam tectam conseruarem.

CAPVT

CAPVT XV.

Gusmanus absumta furtiua pecunia, Centurioni lauernionis præstat operam.

AH, quam molesta fortunæ hæc mutatio animo meo accidit! quam ægrè ab animo impetrare poteram, vt relictis præteritis, præsentia non fastidiret! quo tandem collecto, illud mecum cogitans, aliam fortunam alios postulare mores, patienter omnia ferre decreui. Sed in primis illud operam in omnibus factis ac dictis dabam, vt pristinam de mea nobilitate opinionem tuerer, nec quidquam ea indignum mihi excidere paterer. Et sanè vt magni est animi rebus secundis non efferri; ita non minoris, aduersis non succumbere, & in vtraque fortuna eumdem esse. Centurioni meo ita ego inseruiebam, vt licet superio-

ſuperioris meæ fortunæ oblitus non viderer, nihil tamen arrogans aut inſolens ſpirarem. Quid enim paupere ſuperbo magis & ridiculum & odioſum? In hoc Mundi theatro cum fortuna perſonam mutare oportet. Illud memineris,

Quod ſis eſſe velis, nihilq; malis.

Nec quidquam te iuuabit, mihi crede, ſi virtutum tuarum conſcius, ab iis quos merito ipſe contemnere poſſis, contemni te ægre feras. Hoc ſcito, tanti vnumquemque his temporibus æſtimari quantum in ære & poſſeſsionibus habeat. Hi Mundi mores ſunt, fuerunt, & erunt.

Inter has curas ac miſerias non paruo mihi ſolatio fuit ipſius mei Centurionis paupertas, quæ tanta erat, vt deficiente pecunia, vniones, gemmas, torquem aureum, & quæcunque alia precioſa oppignerare neceſſe haberet. Ego, cuius

ius neminem miserebat, fortunam eius serio commiserabar: nec tamen erat vnde amplius eum subleuarem. Quod ergo vnum poteram, operam quam largissime offero ad omnia quęcumque vellet. Ille, quod à versatili meo ingenio auxilij aliquid speraret, quibus circumuentus erat necessitates vltro mihi confitetur: quibus ego ita medebar, vt nec mei obliuiscerer. In primis lucrosa mihi erat hospitiorum demandata mihi designatio, quæ ita à me fiebat, vt fere semper duodeni aut etiam viceni mihi superessent tituli, quorum immunitates præsentaneo argento patresfamilias à me redimere cogebantur. Sed & meum erat quidquid fere ad manum venerat. Quod enim clam non poteram surripere, palam, stratiotico sane, hodie nimis vsitato more, vi auferebam. Quid multa? infiniti nobis erant modi

Disciplina militaris.

modi acquirendi rerum dominij, de quibus in vniuersa Iuris disciplina ne litteram quidem aut verbum reperias. Capitaneo meo (cur enim vsitatis non vtar vocabulis, etsi parum Latinis?) numquam gallinæ, pulli, anseres, oues, & reliqua campi pecora ad victum deerant, me variis artibus procurante. Quod si forte à patrefamilias in furto essem deprehensus, aut rapinæ conuictus; Capitaneus ætatem meam excusans, præsente eo qui querebatur, solea admodum subtili aliquot ictus vel palmis, vel natibus meis infligi iubebat, qui magnum sonitum, at paruum dolorem excitabant. Sed fere semper aderant ad eam rem allegati patroni aliqui, quorum intercessione & reatus & pœna mihi condonabatur. Quid ego dicam de fraudibus in militum recensione adhibitis? quarum vobis aliquot nararré, nisi eas

si eas hodie sic vsitatas scirem, vt etiam ingeniosissimæ fere rideantur; nec admirationi sit nisi qui aliquid quasi supra humani ingenij captum in hac arte excogitârit. Ego vt ante pecuniæ, ita iam ingenio meo omnem quam à Capitaneo inierã gratiam, & qualecũq; vitæ meæ facilitatẽ debebã. at Capitaneo meo nimis prodigo etiã omnia nimis parum erant. Barcinonem quum venissemus, vbi triremes in Italiã nos transportaturę stabãt, iam omnis ille comeatus nobis erat interclusus. Quis tum tristior meo Capitaneo? tanto magis, quod nemo esset ex regiis Commissariis aut quæstoribus, qui, etiam iussu Regis, vel teruncium vellet exponere, erarij caussantes inopiam; quin etiam multa aureorum millia, quæ de suo (quũ proprium ante nihil habuissent) Regi mutuati essent, deberi sibi prætendentes. Animaduerso Capita-

Nequitia astutissima.

pitanei morbo remedium quæsiturus, inter pauca eius cimelia vnum videram, religiosis vsibus consecratum, & auro graue, & multis gemmis distinctum. *Agnus Dei* vocant. quum iam eò res rediisset, vt quidquid habebat oppignerandum aut vendendum esset, rogo vt illud fidei meæ paullisper concredat. quod ille, astum me tractare facile intelligens, & faustum successum comprecans, haud grauate fecit. Acceptum ego cimelium ad aurifabrum vsurarũ nomine infamem defero. & multa de meo genere, caussis itineris, & in primis de præsenti mea inopia præfatus, aio tandem, cimelium mihi superesse vnicum, magni valoris, quod etsi vendere nondum me egestas cogeret, consultius tamen ducere pecuniâ vsibus meis vbique profuturâ commutare. Deliberaret ergo secum, an pro eo non omnino iniquum

quum mihi ſoluere vellet precium, ſic vt neuter conquerendi haberet cauſſam: gratum mihi tamen fore, ſi prius de mea perſona apud cõmilitones, adeoq́ue ipſum Capitaneum inquireret, quum ſic ille comperiſſet quæ vellet, nempe nobili me genere, in magnis diuitiis natum, honeſto comitatu, copioſa pecunia nuper inſtructũ: quâ per iuuenilem imprudentiam abſumta, ad eum quem videret ſtatum redactus eſſem: hac relatione ineſcatus, ad me redit, paratum ſe dicit, tum hoc tum quæcunque alia haberem cimelia à me emere: ſimul petit vt illud inſpiciendum ſibi monſtrem. rogo vt in ſecretum mecum ſecedat: apertoq́ue thorace, cui ita illud affixeram, vt ad pectus mihi penderet, oſtendo. Diligenter ille contemplatus, iam hunc iam illum defectum cauſans, quinquaginta offert ducatos: ego non mi-

noris

noris centum & quinquaginta venditurum me constanter aio. Post multam licitationem de centum & viginti ducatis inter nos conuentum est: quos ille domi se mihi numeraturum aiebat, & vt vnà irem rogabam. Ego, mi domine, inquam, hoc potius loco exspectabo te cum moneta, ne forte quis meorum commilitonum, ædes tuas ingredientem, aut me tecum colloquentem videns me vendidisse aliquid suspicetur, atque inde pecuniæ meæ insidias struat. Dum ille properè domum abit, vnum è commilitonibus suborno, qui è propinquo loco quæ inter nos agerentur, obseruaret. Reuersus aurifaber, in manum dextram mihi numos numerat: ego sinistra manu cimelium tenens, iam ei traditurus, quum nodum quo thoraci adstrictum erat, soluere non possem, cultellum quem ille è cingulo penden-

pendentem gerebat, peto: ille vero vltroneam mihi hanc præstans operam, nodum ita disſecat, vt funiculi reliquiæ aliquæ ſupereſſent, & veſtigia vbi illud appenſum erat, conſpicerentur. Abit ille lucro, vt putabat, lætus; ego verò à tergo ſequens, vbi duos è noſtris milites obuios illi vidi, magna voce, vt furem comprehenderent, inclamo. Nôrant illi me; tantoque alacrius hominem apprehendunt: tum me rogant quid rei ſit? an forte perdiderim aliquid? Heiulans ego, O me infelicem! clamo, quem herus abſque omni miſericordia letho daturus eſt, vt qui precioſiſsimum cimelium fidei meæ ab ipſo creditum amiſerim. Accurrente iam magna hominum multitudine, rem geſtam, vel mendaciſsime à me fictam ſic narro: Hoc mane dominus meus chariſsimum ſibi cimelium ad lecti caput reliquit.

quum aliàs mihi accuratiſsime demandâſſet, ego pectori meo appendi; & bono huic viro, quod aurifabrum eſſe ſcirem, contemplandum monſtraui, de precio ſciſcitaturus, quod dominum meum lubenter ſcire velle intellexeram. ille rogat me num vendere vellem. Ego id ex ipſo hero meo quærere iubeo. At bonus hic variis interrogationibus tamdiu me detinuit, donec in locũ quemdam auium deduxiſſet; vbi extracto cultello, necem mihi interminatus ſi vel hiſcerem, quod dixi cimelium, diſſecto quo adſtrictum erat nodo, mihi eripuit, atque ita à me abiit. Quum ſimul veſtigia monſtraſſem, milites hominem pæne exanimem increpant: & reperto ita vti à me deſcriptum erat cimelio, furti manifeſtum clamant. Iurare ille, perfidiam meam deteſtari dicere, emtum à ſe præſenti pecunia quod

furto

furto abstulisse argueretur, quam proculdubio adhuc mecum haberem. Sed miser valde deceptus erat. Eam enim ego inter viam homini fido à me eum in finem apposito, tradideram. Excussis diligenter meis vestimentis, quum nihil esset repertum, milites hominem & verbis & factis male habent. Adit ille iudicem, & tam de nequitia mea quam vi sibi facta queritur. Ego licet conscientia (ah miserum me!) aliter dictante, Iudici rem ita narro, vt accedentibus militum testimoniis, ille furti condemnatus, mihi verò cimelium restitutum fuerit: quòd ego Capitaneo, vnà cum vsura sane luculenta, reddidi.

Placuit proditio, non proditor. Potest malus male agendo bonam inire gratiam; at malitiæ opinionem & nascentem inde diffidentiam vitare non potest. Capitaneus sane meus ex illo facino-

Malus sibi ipsi magis nocet quam aliis.

re sceleratam meam animaduertens nequitiam, ita caute mecum egit, vt nihil magis metueret quā ne & ipse à me deciperetur. quapropter cum Barcinone Genuam appulissemus, nec ille meo opus amplius haberet ministerio, pro stipendio numeratis asșibus aliquot, me dimittit. Discedo tristis admodum, vtpote ab omnibus destitutus: & in via illud considerabam, vt Virtuti præmium & laudem, ita vitio turpitudinem & pœnam velut perpetuos comites esse adiunctos. In ipso discessu impetum ceperam Capitaneo suam paupertatem mea liberalitate, vel potius insipientia primum, deinde astutia quoque sustentatam exprobrandi; sed præsentis inopiæ mihi conscius, animo moderari satius duxi. Frustra enim cum illo contendas lingua & iurgiis qui factis coercere te possit. Vnum illud me solabatur, quod pater-

paterna cognatione iunctos inuenturum me sperarem, quorum obuiam & effusam in me liberalitatem frustra mihi imaginabar.

CAPVT XVI.

Gusmanus Genuæ ludibrio habitus, Romam proficiscitur.

ADulatorum culpâ fit, vt nemo diuitum fatuus, nemo pauperũ sapiens habeatur: quippe res quaslibet non ex ipsa veritate, sed aliorum lubidine æstimantium. Quamuis autem plerumque bonæ Mentis contubernalis sit Paupertas; nemo tamen omnium mortalium est, qui eam non auersetur. nec sine caussa: vt quæ vulgo habeatur mater turpitudinis, communis infamia, fomes malitiæ, occasio scelerum, lepra anxia, pelagus in quo suffocatur patientia, consumuntur diui- *Paupertatis vis & effectus.*

tiæ, finiuntur vitæ, perduntur animæ.

Quid pauper sit vis dicam? Pauper est moneta nullius valoris, furni consilium, fæx populi, cœnum platearum, asinus opulẽtorum. Denarius quem pauper habet non valet sem issem; scientia ipsius ignorantia est; sapientia, fatuitas; sermo, ludibrium; peculiolum, omnium præda; vita denique omnis, odium & abominatio. In hominum cœtibus non auditur, sed præsens tamquam absens habetur; non salutatur in foro; non domi visitur: quin etiam obuium plerique omnes fugiunt, non dignantur congressu, non sermone. Si miranda dicat aut faciat, veneficum aiunt, & magiæ peritum; si virtutem in dictis & factis ostendat, alios decipiendi quærere occasionem. ab omnibus calcatur, à nemine subleuatur, etiam cogitationes ipsius, quorum tamen

tamen nemo alius est conscius, in crimen vocantur: denique ab omnibus quibus vndique expositus est, iniuriis nullum prouocationis ipsi ius est, nisi ad summi Iudicis in altera vita tribunal. O miserum pauperem! qui quum nihil habeat, pro omnibus tamen satisfacere cogitur: cui etiam media æstate sole gratus frui vix licet. Et quemadmodum carnes putidæ carnibus vorandæ obiiciuntur; ita pauper parasitorum ludibriis à diuitibus exponitur. At quam diuersa, bone Deus, opulentorum est conditio! Hi secundis ventis & tranquillo mari nauigant: granaria frumentis, cellas vino, arcas numis plenas habent. æstate ab æstu, hyeme à frigore se defendunt. Diues fatuus pro simplice, fraudulentus pro astuto, prodigus pro liberali, auarus pro frugali, obstinatus pro constanti, audax pro forti, malus denique *Diuitiæ insolentes, &c.*

pro bono habetur. Obseruatur, colitur, adeoque adoratur ab omnibus, ipse testis sibi est, ipse iudex. Facit denique solus quod vult. Sensi tum quidem ego quã verum sit, quod vulgo dici solet, Hominem sine pecunia esse corpus sine animá, & illud Demosthenis; sine pecunia nihil eorum quæ oportet, fieri aut geri posse. Pecunia sanguis est hominis, quo destitutus, quasi mortuus inter viuos ambulat, & pro non nato habetur. Peruersi hi mores sunt, fateor: sed quid tu, vel ego? an huic communi errori medebimur? an frustra meliora tempora & mores emendatiores exspectabimus? Numquam profecto illud erit, nisi ad Calendas Græcas. Antiquum Mundus obtinet. Media primis, extrema vtrisque respondent. Primus hominum parens infidelis Deo fuit, mater, mendax, primogenitus fratricida.

Quid iam fit quod non ante factũ, aut aliquando futurum sit? Quod preterita fere semper meliora nobis videntur, inde fit vt etiam malorum ac dolorum quibus olim perfuncti sumus recordatio nobis grata sit: quum præsentium acerrimus sit sensus. Sic viridantium ac variis vernantium floribus pratorum aspectus è longinquo oculis gratissimus est: at si propius accedas, nullibi reperias, vbi sedere velis aut possis. Et quid mirum est, homines tanto studio diuitias consectari! quibus deficientibus, frater fratrem, vxor maritum, filium pater, patrem filius deserit, immò homo à seipso desciscit. Ego certe si Genuam appulsus meipsum considerassem, numquam in id quod expertus sum incidissem ludibrium, sed meliori fortunæ me seruâssem. At satis philosophatus sum.

Genuæ quum essem, à Capi-

taneo meo ita, vt audistis, dimissus, etsi centunculo versicolore indutus, mormolycio quam homini similior, antiqua tamen Gothorũ nobilitate me ortũ, & præcipuas eius vrbis familias cognatione attingere me iactabam. O quę ludibria quas contumelias ego tũ quum maximas sperabã honores, accepi! Nemo ex omnibus erat cui ego genus ac prosapiam meã reuelâram, qui non statim exclamauerit: O audacissimum nequam! Tune tali ortus sis genere? quem palam est vulgo conceptum, & in fornice aliquo natum. quin etiam nonnulli mihi genus meum pertinaciter iactanti alapas inflixerunt. De patre meo tantum comperi, quantum de eo qui nunquam natus fuit. Tandem senex aliquis recaluaster (cuius memoriam sine indignatione etiamnum vsurpare non possum) variis de rebus amice mecum colloquutus, ait,

ait, Patris mei nomen sibi non ignotum: de omnibus vero quæ ad cognatos meos pertinerent, domi me eruditurum. simul vt si cenatus essem, secum irem inuitat. Fidem habui homini cano, & cuius aspectus atque omnis habitus venerabile aliquid præseferebat. Præeuntem ergo sequutus, domum ipsius ingredior, statimque à ministro in cubiculũ quoddam magnifice apparatum deducor. Tum demum spe fallum me vidi. neque enim putaram, fore vt in opulentis ædibus, & quidem apud eum, qui genus meum & nouisse se dixerat, & magnopere extulerat, incenato mihi ac famelico cubitum esset eundum. Cur ergo, ais, non prius in taberna aliqua famem expleſti? Dicam ingenuè. nostræ nationis mos est, vt plerique de suo parce admodum victitent, alieni vero ita sint prodigi, vt vltra satietatem ingesto

Senilis astutia.

cibo potuque, pantices distendant ac pæne dirumpant. Venit postea ad me ipse pater familias; sed sine Cerere & Baccho: & multis interrogationibus de parentibus meis, deque rebus aliis purimis tam mihi molestus fuit, vt ipsius quoque cenæ lubenter obliturus mihi viderer, modò ille abiisset. Quum ad singula prudenter admodum respódissem, tandem digrediens ille, vni ex famulis mandat, vt mihi ad ministerium præsto sit: sed ego, amoto famulo, quamuis edere quã dormire maluissem, deposito omni meo lacero admodum & nodis hinc inde magis adstricto quã consuto vestitu, ita nudum me in lectũ compono, ne lectus immũda ac squallida mea interula conspurcaretur, aut forte alumnorum aliquis aberraret, & omni amissa redeundi ad pristinum stabulum voluntate, sera fieret. Vix oculos clauseram,

ecce

ecce laruati aliquot diaboli in cubiculum irrumpunt, & lectum meum circumsistentes, metu tantum non me exanimant. Exclamare non ausus, sedulo tantum Dei nomen inuocabam, vt me à baptizatis illis diabolis liberaret. Sed vani erãt exorcismi mei. Statim enim eorum aliquis stragulo me imponit; tũ singuli apprehensis laciniis, ad semihoram fere ita succutiũt, vt vi retentrice alui meæ languescente, quidquid stomacho clausum gerebam, redderem. quo teterrimo odore offensi illi, exanimi me relicto, sese proripiunt. An in cœlo vel terra tum fuerim, abalienatis fere sensibus, nescissé sane, nisi me odor admonuisset: quo excitatus, quid mihi accidisset, mecum considero; tum totum corpus eo quod in linteamine purum adhuc erat, extergo, sicque centunculo me iterum inuoluo. Iam cœlo albescente,

Ridiculũ terriculamentũ.

fores quas manu mea intus obſeraueram, contemplor, iiſque vt à me clauſæ fuerant repertis, timere cœpi ne à ſtrigibus & lamiis nocturnis eſſem vexatus, quarum illo ipſo veſpere famulus inter alios ſermones mecum habitos mentionem fecerat, iis ſcilicet totam illam infeſtari viciniam. Tandem pſeudothyrum video: & deprehenſa nequitia, ſcelerato ſeni peſsima quæque imprecatus ſum, male etiam feciſſem lubens, ſed occaſionem nullam videbam. Optimum ergo duxi, vt lecto diligenter tecto, errorem meum ſeu imbecillitatem ſimul tegerem. Mane idem qui veſpere in cubiculum me deduxerat, adeſt miniſter. ait, herum in templum iuiſſe, ibique meum aduentum præſtolari. Ego veritus ne ille ventris mei inueniret reliquias, & imbecillitatem meam mihi exprobraret, rogo vt viæ & regionum iſtius

us vrbis imperitum me deducat. ſic ille ad fores ædium me comitatus, eis occluſis regreditur; ego velut alatis pedibus quam celerrime inde auolaui, probri & pudoris plenus: reſtauratiſque cibo potuque aliquantulum viribus, iter Romam ingreſſus ſum.

CAPVT XVII.

Guſmanus ad Mendicorum tribum ſe adiungit, eiuſque mores, ſtatuta & leges addiſcit.

SI vxor Lothi ſic domo egreſſa fuiſſet, vt ego Genua, numquam, mihi crede, in ſalis, (id eſt, æternam, ſeu diu duraturam) ſtatuam fuiſſet conuerſa. Certe non facile quiſquam vel quadrigis me fuiſſet aſſequutus. E prœlio aliquo euaſiſſe obuiis videri poterā: ſimilis cani non è Nilo bibenti, *Addit pudor alas.*

 (hos

(hos enim identidem respicere aiunt) sed cui vesica pisorum plena ad caudam alligata est. Tanta me incenderat indignatio, tanta ira pudori permista me inuaserat, vt omnem fere sensum amisisse viderer. Qua paullatim subsidente, quum vno curriculo de-c[illegible]nfecissem milliaria, in pago quodam cibi aliquid & quietis capiens, rerum mearum statũ tam præteritum quam præsentem curiose expendi, & ad summam Necessitatem, multorum naufragiis infamem scopulum, me delatum, nimis sero deprehendi. Sed iacta erat alea. Qui semel verecundię limites transiit gnauiter oportet esse impudentem.

Parcimonia maxime adhibenda.

Romam proficiscens, ipsa necessitate admonente, de meo quamminimium expendere statui. Impigre ergo ostiatim mendicando, breui magnum quæstum feci: ac multo maiorem fecissem, si artis

ſi artis huius myſteria ab initio habuiſſé cognita. ſed tyro adhuc eram, & inprimis in eo imprudēter faciebam, quod emendicatum panem qui ſaturo mihi ſupererat, canibus dabam: quem ſi vendidiſſem, vti faciunt artis huius periti, plus pecuniæ quam quiſquā credere queat, conficere inde potuiſſem. Romam vt veni, deliberaui mecum, expediretne noua mihi comparare veſtimenta. iam enim è negociatione mea (cuius ſors ſemper integra, vſuræ certæ manent) tantum lucri feceram, vt facere id poſſem: ſed metuenti ne idem mihi quod Toleti accideret, nequaquam id conſultum videbatur. Sciebam quippe, ſuperbo ſæpe veſtitu extremam occultari paupertatem. tum, Mendicātes robuſtos ac bene veſtitos plerumque ſine eleemoſynis, cōuicio à foribus abigi. Certus ergo aſſeruare quod habebam, altero velut

velut nodo marſupium meum conſtrinxi, vt vix à meipſo vel numulus inde poſſet eximi: ne ſeram in fundo deprehendens parcimoniam, meam inſcitiam atq; imprudentiam iterum damnarem.

Mendicantium artes. Lacer ego, pannoſus, ſqualli-dus (qui habitus & ipſe à me non ſine cura erat concinnatus) oſtiatim mendicans, Cardinalium, Oratorum, Principum, Epiſcoporum, aliorumque Prælatorum ac Magnatum ædes præcipue obſidebam, vſus tam ductu quam inſtructione cuiuſdam pueri trocho magis verſatilis, & omnium vrbis regionum peritiſſimi. Hic me docuit, quibus geſtibus, qua voce, quibus verbis in petenda eleemoſyna vti oporteret. neque enim vnum omnibus placere. Viros non delectari nugis: quibus feminæ maxime capiantur. Aliis verbis diuitem, aliis mediocris con-

conditionis, aliis Religiosum appel'andum esse. Hos per Dei amorem, illos per Deiparæ reuerentiam obsecrandos esse. aliis optandum quod quisque maxime desiderare videatur. multaque alia quæ dicere huius loci non est. Tam vero docilis ego eram discipulus, vt breui non contemnendum mihi comparauerim peculio'um. Panis reliquias iis vendebam, qui gallinis & gallis castratis, aliisque animalibus saginandis dabant operam: ex qua vna re mirum est quantum pecuniæ cõfecerim. Nec fere dies abibat, quin nudo mihi obsoleti aliqu id vestimenti obiiceretur: quæ omnia ego vendens, numos diligenter reconditos asseruabam.

Adhuc nescieram, esse certam Mendicorum tribum, certas leges ac statuta, quæ non minus quam magistratuum sanctiones ac iussa transgredi periculosum sit: *Tribus. & statuta.*

ſit: donec quodã die commilito-nũ meorũ quoſdã inter ſe muſſantes audiui: Hiſpanus hic iuuenis multa quotidie peccat contra artem noſtram, nobis multum obfutura, nec ipſi tamen vtilia. Tum eorum aliquis: ſanè ita eſt. Vidi enim nuper, quum ſatur forte, neſcio quid cibarij oblatum reſpueret. ex quo quid aliud poteſt colligi, quam nos ita abundare vt etiam faſtidiamus. Alter, hunc tu mihi, ait, caſtigandum relinque. Vocatum mox ac ſeductum rogat, quis, cuias eſſem, quam ob cauſſam Romam veniſſem: aliaque ſimilia. Accepto reſponſo, tamquam Cicero aliquis aut Poſidonius, Officia Mendicorum explicare mihi cœpit, (ſed vtilitatis tantum erat mentio, nulla Honeſtatis) tum leges, ſtatuta, & alia ad ampliſsimam hanc ſocietatem ſpectantia. Nugamenta iſta omnia erant quæ ante à puero quem

quem dixi didiceram. Et ego quidem tam hæc quam ista in scriptis habeo omnia; vulgare tamen, velut Eleusinia sacra, vereor. Satis erit, si vobis quid postea mihi contemtam hanc artem, lucrosam tamen factitanti acciderit, narrâro.

Roma Caietam profectus, ex artis præceptis, caput mihi vlcerosum efformo: idque ostentans ante ipsas templi fores miserabili, & non minus secundum artis præcepta modulata voce eleemosynas flagito. Inter illos qui stipem mihi porrexerant, erat quoque vrbi Præfectus, diligenter me, vt postea expertus sum, contemplatus. Paullo post die quodam festo aliud adhibeo strategema, non semel ante mihi vsurpatum. Alterum pedem mira arte ita cōcinno, vt totus gangræna videretur infectus. Sic ad aliud templū accedens, ante fores consideo, &

pedem

pedem oſtentans, miſerabili voce à prætereuntibus ſtipem efflagito. Voluit tum mala mea fortuna, vt eodem in templo ſacris intereſſet Vrbi præfectus: qui egrediens, me internoſcens, iubet vt exſurgam, ac domum ſecum eam: interulam ibi ſe daturũ mihi dicens. Credo' ego, ſequor. In

Fraus castigata. Præfecti domum quum veniſſem, diligenter ille me contemplatus, Poteſtne fieri, inquit, vt tam robuſtus, tam viuidi coloris, tam bene habiti corporis homo, talem habeat ac tam exulceratum pedem? Totus tremens, Neſcio, inquam, domine, quid rei ſit: me quidem quam Deus inflixit mihi pœnam, patienter ferre oportet. Sed ille aduocato chirurgo, iubet vt lintea omnia & ligaturas e pede mihi detrahat: quo plane nudato, fraus mea omnium oculis fuit expoſita. Quid me tum miſerius? Quid dicerem, quid facerẽ?

Omni

Omni excuſationi viam præcluſam videbam. Præfectus indignatione plenus ſeuere me caſtigare decreuerat: ſed adoleſcentiæ meæ parcens, virgis cæſum, (hæc ſcilicet illa erat interula) ciuitate eiici iuſsit. Hoc ſiniſtro fortunæ, vel potius malitiæ meæ ictu pænè proſtratus, animo tandem reſumto, Romam redij, vbi, vtpote in tam vaſta vrbe, & tanta mendicantium multitudine, cuique ſuo quo poteſt modo victũ procurare licet. Et ſane tutius eſt per latiſsimũ nauigare Oceani æquor quam per freta & anguſtias, vbi minima procella ad ſcopulos aut vada deferre te poſſit.

CAPVT

CAPVT XVIII.

Gusmanus à Cardinali quodam curandus Chirurgo traditur: sanatus, inter domesticos ministros recipitur.

ADolescentiam in rebus arduis cæcutire verissimum est: non quidem ingenij, sed prudentiæ defectu, quæ experientia acquiritur. ad hanc vero acquirẽdam tempore opus est. Vt fructus immaturi nullum, immo ingratũ & acerbum habent saporem: ita adolescentes rerum experientia nondum subacti, aut parum sapiunt, aut illud quod sapere sibi videntur, insipentiam meram esse, sero tandem intelligunt. Miraris tu iuuenilem imprudentiam? Ego vero multo magis mirabor, si quis iuuenis præter aut vltra ætatem

Adolescẽtia improuida.

tem

tem sapiat. Notum illud est: *Ingenia pręcocia parum esse diuturna.* Sapiebam ego pro ætate, ita tamẽ vt accedente rerum experientia, animum velut aquilæ pullus, ad ipsum veritatis solem subleuarem, sic mecum cogitans: Hem quid agis Gusmane! Siccine vitæ tuæ optimam partem conteres? Tu quidem nõ alios, sed teipsum decipis. Quid attinet te mendicare, qui multo honestioribus modis victum tibi ipse procurare possis? Ecce tot hominum millia, quos inuictos ad mendicitatem aduersi casus adegerunt: quibus tu debitum panem præripis. Tu quidem eleemosynam alacri accipis manu: at qua olim Deo, cuius veros amicos vere pauperes præuertisti, illam reddes? Sic ego mecum ratiocinabar: sed vincebat naturam consuetudo. Dixi vobis quæ ego in accipienda, dicam nunc quæ alij in danda eleemosyna peccarint. *Eleemosyna qua lis & quibus danda.*

Vidi

Vidi nonnullos ac præcipuè diuites & bene numatos, quum nostrûm aliquem præterirent, consistere, tum in extracto marsupio tamdiu piscari, donec numulum aliquem aut vetitæ monetæ, aut nullius inuenirent valoris, eoque pauperem bearent. Vide quo loco homines isti Deum habeant. Persuasum habent scilicet, quod pauperibus datur Deo dari: interim Deo dant, quod datũ a'ij recusarent. Erant etiam, qui nequaquam singulis dabant eleemosynam, sed magnam mendicorum patiebãtur confluere multitudinem: quibus deinde magno cũ strepitu, nescio quid distribuebatur, quos quidem nõ diuinum mandatum aut præmium, sed hominum laus, quam inde venabantur, incitabat. Dabant alij, non quod dare vellent, sed quod non dare eos pudebat. Sed hæc videritis qui datis; alia, qui accipitis eleemosynam. Romam

Romam reuersum dici non potest quanta me ceperit lætitia. Ad pristinas ergo artes reuersus, crus iterum mihi vlcerosum concinno, sicq; ad Cardinalis cuiusdam ostium me proiicio. Egredientē quam possum miserabili voce inclamo, per amorem Dei vt afflictissimo mihi subueniret obtestans. Meam non pauperis sed Dei vocem arbitratus beneficentissimus Cardinalis, mandat famulis, vt me suas in ædes, adeoque suum ipsius in cubiculum deportent, & in lecto deponant. Inde duos Chirurgos accersit, eisque curam mei demandat. Et hi quidem primo decepti aspectu, incurabile vlcus esse, adeoque crus mihi præcidendum clamabant. O quæ tum pectus meum inuaserat anxietas Iam quod Caietæ acciderat, ludus! & iocus mihi videbatur: nec in omnibus Litaniis vllum inueniebam Sanctorum à quo ne-

Mendicantium fraudes.

O quitiæ

quitiæ patrocinium peteretur. Dum ita illi alter alterum intuẽtes subrident, malitiamque meam mirantur, iam iamque abituri, & rem omnem vt erat Cardinali indicaturi: è lecto prosilio, & auscultans quæ illi clam inter se mussitabant, vno sic dicente: Nequissimus certe hic est adolescens, & vt videtur, in Lauernæ schola omnes artes edoctus. Sed quid ad nos? Si mysterium hoc Cardinali euulgemus, misero creamus periculum, & nobis viam ad lucrum præcludimus. Quid si rem omnẽ dissimulemus, & susceptam adolescentis curam in longum extrahamus, atque ita mercedem deinde luculentiorem consequamur? Renuente altero, & rem Cardinali indicandam dicente, improuisus accurro, & in genua prouolutus, per omnia sacra obtestor, ne me, cuius salus in ipsorum ore & manibus erat posita, perdi-

Auaritia vis.

perditum irent. Hominum ad eleemosynas pigerrimorum tenacitate miseros ad strategemata eiusmodi cogi. Mei ergo misererentur, & rem omnem clam habendo, tam meæ saluti quam suisipsorum commodis consulerent. Vix me digresso, dum illi inter se consultant, ecce Cardinalem ex Ecclesia redeuntē; cui de me percunctanti ita responderūt: Atrox esse vlcus, iamque gangrenâ crus pæne totum occupatum. Bonis auspiciis in Illustrissimæ suæ Dominationis manus incidisse, sine cuius liberalitate procul-dubio ipsi pereundum fuerit. Sperare se, omnem curam intra semestre absolui posse. Tum optimus Cardinalis, Non sex tantum, sed decem etiam menses, si ita necesse sit, miseri curæ impendatis volo, nec vllis sumtibus parcatis. Hæc ego audiens, incredibili perfusus sum lætitiâ, tum demum recte intelli-

telligens è quanto euasissem periculo, & quanta illud bona spe iam esset commutatum. quæ quidem nequaquam fefellit. Mihi enim cibus & potus quotidie de Cardinalis mensa præbebatur, tum Cardinalis ipse sæpius me visitabat, & amicissime mecum colloquebatur, ita vt sermone & consuetudine mea delectari videretur. Paucos post menses iam persanato scilicet crure, chirurgi accepta quam popoſcerant mercede, mihi valedicunt: ego verò à Cardinali non rogato, domesticis ministeriis adscribor.

(* * *)

CAPVT

CAPVT XIX.

Quid Gusmano in Cardinalis accideriт ministerio.

VErissimum est quod ille apud Comicum dicit, *Omnium rerum esse vicißitudinem.* Poeseos studium olim, quod in magno esset honore, summè floruit: nostris temporibus ita vilipenditur, vt Poeta inter cōuicia quasi numeretur. Quid Oratores olim? Hi dominabantur in foro, in Senatu, coque soli fere rerum potiebantur. At quid hodie contemtius Eloquentiæ magistris? Vestitum quoque ipsum considera; quam frequens in hoc mutatio, quam nouæ subinde formæ! nec hac in re plebeius aliquis vel Magnati facile cedat. Iam ipsas quoque linguas & vocabula superbia mutauit & ambitio. non placet antiqua simplicitas. qui plures so- *Res omnes mutant.*

lœciſmos & barbariſmos aulicos, vt Maieſtates, Celſitudines, Illuſtritates, &c. in promtu habet, is ciuilior ac diſertior habetur. Ædificiorum formæ ſubinde mutantur, excogitantur indies nouæ bellicæ machinæ. Ipſi quoque Chriſtianorum mores in gentiles, parum abeſt, degenerant. Olim colum & lanam tractabant feminæ ac virgines: nunc catulos Melitenſes ſinu & brachiis gerunt, pſittacos, cercopithecos alunt. Olim clauſæ domi latebant, domeſtica obeuntes munia: nunc per fora, per plateas circumcurſitant, adſtant pro foribus, tam vt alios ſpectent, quam vt ipſæ ſpectentur. Conuiuiis olim aut numquam, aut raro adhibebantur: nunc prima in eis loca ſibi vindicant. Quod rebus omnibus, idem veritati accidit. quæ namque in ſummo honore fuit, & hominibus perfamiliaris, adeò vt omnium

vir-

virtutum decus ac perfectio haberetur (& profectò vbi veritas locum non habet, ibi virtutes omnes nec vnius assis æstimandæ sunt) iam albo coruo rarior est, qui libero animo verum dicat, aut æquo audiat. *Obsequium amicos, Veritas odium parit.* Sed quid Veritatis nomen vsurpo? cuius vsus iam diu inter homines desiit: cuius in exsilium actæ sedem Mendacium occupauit. Apologum audi.

Veritati olim tamquam virtutum omnium reginæ communis hominum consensus statuam erexerat: quod ægre ferētes Mendacium, Odium, Inuidia, innocentem licet vaferrime excogitatis calumniis ita circumuenerunt, vt deiectâ statuâ, miseræ exsilium indictum fuerit, omni tam excusationi quam prouocationi loco præcluso. Dum ita despicabilis inter homines oberrat, in triuio *Apologus de Veritate & Mendacio.*

consistens, & viæ & regionum ignara oculos circumferens, in collis cuiusdam vertice magnam cõspicit hominum multitudinem, quæ quanto propius accedebat, tanto maior apparebat. Medij in illa erant Reges, Principes, Comites, Rerumpublicarum & Vrbium Gubernatores, triumphalem currum, cui matrona regio ornatu insidebat, comitantes. Et hæc quidem è longinquo incredibilẽ pulchritudinem tam habitu quã facie ostendebat; at propior, mirum in modum deformis apparebat, toto corpore vlceribus scatente. Consistens Veritas, visis tot tamque sublimis dignitatis viris, tam turpem mulierem satellitum loco comitantibus, subridet. Id conspicata regina Mendacium, rogat quæ esset, vnde veniret, quò tenderet. Fatetur illa omnia vti erant. Tum Mendacium pro suo imperio iubet, vt currum suum sequa-

ſequatur: non ignara, omnium minime nocere hoſtes qui benignitate ſubacti fuerint. Veritas inuita, ſed ad reſiſtendum impar, paret imperanti, & extremo agmini ſeſe immiſcet. Sciebat enim inter Mendacij ſatellites locum ſibi non eſſe. Veritatem ſane numquam tu apud ipſum Mẽdacium aut eius miniſtros reperies. Sequitur illa eminus: & vbi nequiſsima illa ſimul & ſuperbiſsima femina diſparuit, dum demum ſe oſtendit.

Primi diei itinere ad ſplendidam ciuitatem peruenimus, in qua *Fauor* regnare dicebatur: qui egreſſus Reginam magnifice excepit, & vt in regiũ diuerteret palatium, inuitauit. illa, actis gratiis, apud opulentum ciuem, *Ingenium* nomine, hoſpitium ſibi ſumit: vbi regali luxu inſtructa erant omnia: inprimis tanta erat ciborum ac condimentorum va-

rietas, vt omnes ſapores atque odores confuſi viderentur. Aulæ Præfectum ſuæ regina habebat, *Oſtentationem*, enormi ſtatura, barba prolixa, vultu graui, ſedato inceſſu, placido affatu: qui vbi ſumtuum factorum rationes ab hoſpite accepit, ad reginam deſert. Illa nihil aliud reſpondés, iubet vt è depoſitis apud hoſpitem numis ei ſatisfaciat. Admirabundus ille, vt talis depoſiti minime ſibi conſcius, principiò ioco dictum putans, ſubriſit: mox vbi feriò rem agi animaduertit, obſtupeſcens, indignisſimis modis iniuriam ſibi fieri, exclamauit. Mendacium regina teſtes aduocat, Quæſtorem ſuum *Ocium*, *Adulationem* Gynæceo Præfectam, *Fraudem* pediſequam. Quin etiam vt miſerum hoſpitem domeſticis conuinceret teſtimoniis, hoſpitis filium, *Intereſſe* nomine, illiuſque vxorem *Auaritiam* teſtes aduocat: quo-

quorum omnium testimonia cōtra *Ingenium* hospitem consentiebant. His angustiis inclusum se ac tam turpiter impositum sibi videns *Ingenium*, sublatis ad cœlum manibus, atrocissimam sibi fieri iniuriam, queritur, heiulat, lamentatur, ipsosque deos inclamat, vt *Veritatem* in lucem producant, sibique misero subueniant, vt qui non debito tantum fraudetur, sed à quo etiam numquam creditum poscatur. Ad tam lamẽtabilem querelam adest Veritas, solatur hospitem, ita tamen vt diceret, hoc vnum se contra tam potentem reginam posse, vt palam conspiciendam se præbeat. Quod quum fecisset, indignata vehementer regina *Mendacium*, iubet vt *Ingenio* hospiti, sed de ipsius *Veritatis* bonis satisfiat: auxilium suum grauiter luentis.

Secundi diei itinere in aliam ciuitatem peruentum, in qua im- *Murmuratio.*

perium obtinebat, *Murmuratio, Mendacio* reginæ valde amica, vt & Magnates eius ciuitatis omnes, *Superbia, Proditio, Dolus, Gula, Ingratitudo, Malitia, Acedia, Pertinacia, Vindicta cupiditas, Aemulatio, Iniuria, Inuidia, Stultitia, vana Gloria.* Ab his omnibus magno cum applausu excepta regina, eatenus eorum liberalitate vti se velle ostendit, vt de suo sumtus sibi facere liceret. Omnis ergo generis annona à Præfecto alimoniæ *Sollicitudine*, & Quæstore *Inconstantia* conquiritur, & tam cibaria quam varia vina affatim comportantur. Sub reginæ discessum quũ quisque eorum quæ contulerat precium posceret, respõdet Quæstor, omnia iam ex asse soluta, nec quicquam cuiquam deberi. Orto inde tumultu, prodit ipsa Regina, & quid rei esset percunctata, itidem iam omnibus satisfactum, idque præsente, audiente & vi-

dente

dente *Veritate* factum respondit; nec eam id negaturam. Accedunt *Veritatem* perculsi venditores, & vt verum fateretur vrgent, sed illa profundum somnum simulās, quamuis maximo omnium clamore & strepitu excitari non potuit: excitata tandem, mutam se simulat, præteritorum memor: vt quæ intelligeret, si verum dixisset, fore vt quod alij rapuerant, aut suffurati fuerant, de suo soluere cogeretur. Ex illo tempore ad hodiernum vsque diem muta mansit Veritas. Quis enim verum lubenter dicat, vnde in se damnum redundaturum sit?

Mendacium non inepte meo iudicio, chordæ instrumenti Musici, Veritatem, vertebræ eiusdem comparare quis possit. Etenim chorda suauem sonum, vertebra stridorem auribus ingratum edit, & difficulter admodum circumagitur, tandem vero magis *Veritas cui similis.*

magisque firma & fixa hæret; chordaècontra nimis altè tensa rumpitur: ita Veritas plerisque ingrata est & inuisa, sed semper sibi constat, & immota manet; Mendacium vero languescit indies, & tandem Veritati cedere cogitur. O quam multi in Principum aulis, mendaciis fraudulenter excogitatis supplantătur, & in extremas coniiciuntur angustias, immò ipsa vita priuantur! At tādem videas illos ipsos qui Veritati aliquamdiu insultârunt, non rubore tantum suffundi, sed etiam in malam rem ac crucem agi.

Hæc si iuuenis ego tum sciuissem, aut mecum considerâssem, non Mendacio sed Veritati me applicuissem. Sed tota mea vita nihil aliud erat quam Fraus, Mendacium, falsimonia: quæ nullo nixæ fundamento, tandem corruerunt, ac ruina sua pęne me oppresserunt.

ferunt. Succrescebat indies apud me vitiorum seges: & abyssus abyssum inuocabat. Iam ego Cardinalis sum minister. vtinam ne ad deterius res prolabatur. Sed fieri non potest, quin omne violentum ad suum centrum descēdat. Vt arbor sine radicibus nullum fert fructum, sed arescit: ita virtus, vix nomine mihi nota, quum nullos in animo meo adhuc radices egisset, vix vlla sua vestigia ostendebat. Credis forte meliore fortuna me gauisum? Ego vero nihil molestius ferebam, quam è libertate me quasi in seruitutem abductum. Aiunt vulgò, non diuitias tantum sed honores quoque quanto magis affluant, tanto magis concupisci, & ipsa sui copia famem augere: sed alius erat animi mei sensus, cui nihil grauius erat, quam à pristina abduci vita. Numquid absurde facturus sit, qui piscium loco pauo-

pauonibus ſtagna replere; aquilā ad aratrum, taurum ad volatum aſſuefacere, aut equũ arena, accipitem auena velit paſcere? Non minus profecto delirabant, qui ex homine circumforaneo, omnibus vitiis aſſueto, & virtutum experte, puerum nobilem & frugalem facere volebant. Iam enim conſuetudo in naturam tranſierat: iam omnes boni & generoſi animi ſcintillæ vitiorum colluuie oppreſſæ, adeoque fere exſtinctæ erant. Centrum meum, ad quod me natura & indoles ferebat, taberna erat & vita otioſa: quam ego nec cum Cræſi diuitiis, nec cum Imperatorum & Regum honoribus commutaſſem.

Initio quidem, in Cardinalis aſſumtus miniſterium, ita me gerebam vt bonam omnes de me conciperent opinionem, & non obſcuro loco natum crederent. Inprimis in ipſius heri gratiam inſinuare

ſinuare me ſtudebam, adulando, omniaque tam dicta quam facta reliquæ familiæ deferendo, & calumniando: qua arte mirifice me in heri mei gratiã inſinuaui, ita vt ſoli mihi initio omnia crederet, & neminem magis fidum ſuis rebus exiſtimaret. quin etiam quæ per totam vrbem fiebant quæque non fiebant ad herum deferebam, vnũ exaggerans, alterũ extenuãs, prout hero placere intellexiſſem. Sed quia mea omnia dicta factaq; ex meris conſtabant fraudibus & mendaciis, his ſeſe prodentibus, res meæ omnes peſſum iuerunt. Nec linguam nec manus cõtinere poteram. Nec ipſius heri mei cimeliis parcebam. Sed nec contubernalium meorum bona aſpernabar: quos velut è veterno excitaui, dum aſsidua mea in veſtibus alioque eorum peculio in mea ſcrinia congerendo diligentia eos multo fecit cuſtodiendis ſuis attentio-

tentiores. Omnes meæ cogitationes, omnes labores, in hoc consumebantur, vt numos semper in promtu haberem, non quidem alium in finem quam ad ludendum. Etsi enim deliciarum erâm appetentissimus, domi tamē reperiebam, vnde cupiditatem meam explerem, dum heri mei capsulas, quibus bellaria asseruabantur, quotidie rimor. Et in eo fauebat mihi quidem fortuna, quod inauratam heri clauim nactus, forma eius ceræ impressa, alteram mihi faciundam curaui. *Ligurito-rum.* Ea vero sic vsus sum, vt clandestinum furē in domo esse promuscōdus inprimis, deinde ipse quoque herus suspicaretur. Cerui ego naturam obtinebam, quem aiunt ipso spiritu viperas è cauernis extrahere: sic ego ipso meo anhelitu dulcissima quæque palato meo arridentia ex penitissimis quoque riscis ad me tamquam Iupiter

piter aliquis Elicius euocabam. Id quum, vt dixi, hero suboluisset, acriter inquiri iussit: sed apud nullum minus quam apud me fraus deprehensa. Tandem vero dum quodam die herus conuiuas aliquot laute excepisset, ego similiter opipare me inuitare, & in pascuo meo solito cibare decreueram. Iam arcam in qua cupediæ illæ erant, reseraueram: iam optima quæque & sapidissima liguriebam: quum ecce herum meũ nescio qua de caussa cubiculum ingredientem, qui vt cistam apertam, ac me adstantem strenueque ligurientem vidit, propius accedens, quid facerem rogat. At mihi metu expallescenti animus simul & vox refugerunt. Ille deprehensa fraude caput quassans, Oeconomo imperauit, vt duodecim ictus natibus meis infligeret: quos bonus hic vir duplicare nõ dubitauit. Sinistro hoc territus euentu,

tu,

tu, in commeatum proficisci aliquamdiu intermisi; interim vero crescebat apud me indies ab Oeconomo, vt interpretabar, factam mihi iniuriam vindicandi cupiditas. Ad quam rem non multo post sese obtulit occasio.

Iniuria fraude vindicata. Aestas erat, & vt fieri eo anni tempore Romæ solet, culicibus infesta omnia: quibus miserum in modum vexari se querenti Oeconomo dixi, Notum mihi esse tam aculeatis abigendis atque adeo interficiendis insectis remedium, in Hispania valde vsitatum. Blandiri ille mihi, obsecrare vt commonstrem, gratum se fore aiens. Nescio quid mercedis stipulatus, in hortum eo, & herbarum mihi notarum collectum ibi fasciculum, aceto totum perfundo ac quasi macero, eumque ad caput lecti, in quo ille dormiebat, appono, fore dicens, vt vniuersum molestissimorum animal-

malculorum examen eò conuolet, & quamprimum aliquid degustauerint, enecetur. Fidem ille mihi habens, cubitum concedit: & quia largiuscule aliquanto tum se inuitauerat, primo somno, vt fit, nihil sentit: quum vero euigilasset, totam faciem acutissimis morsibus tuberosam, adeoque nasum ambesum sibi deprehendit: quin tanta erat culicum agminatim stridentium & circumuolitantium sæuities, vt miser & tectum & cubiculum mutare cogeretur. Quum diluxisset, ira insaniens, dentibus discerpturus me videbatur: ego præuertendum ratus, herum Cardinalem adeo, iniuriam non ita pridem mihi factam, nunc ioculari strategemate vindicatam expono. ille narratione mea non sine risu accepta, astutiam meam admiratus, Oeconomo mandauit, vt ne mihi eo nomine molestus esset, sed quid-

quid

quid huius erat suæ austeritati, herilis imperij limites transgressæ imputaret.

Vt mendaci etiam verum dicenti non creditur; ita mihi in furto & fraude deprehenso ab hero deinceps nulla habebatur fides: eoque omnem occasionem, quæ fures facit, tollendam mihi arbitratus, à Camera sua segregatum Cubiculario inseruire me iussit, homini quidē bono & faceto, importuniori tamen aliquanto & suspicaci. Erat inter nouum hunc meum patronum & heri Secretarium aliqua æmulatiuncula, ita vt alter alterum ludificari studeret, non inuito Cardinali, quod omnia ista absque damno & præiudicio cuiusquam fierent. Vespere quodam Cubicularius foris cenatus, & languidiore corpore domum reuersus, quum consueta munia non obiisset, apud herum, me allegato, sese excusarat:

quod

quod intelligens Secretarius, sequenti mane forte fortuna mihi obuius, rogat quomodo patronus meus sese haberet. Respondeo, languere adhuc, sed sperare me breui melius fore. Ille nescio quid inopinati caussans negocij, me cum alio è familia in vrbem mittit: interim puerum alium muliebri habitu ornatum in cubiculum patroni mei altum dormientis introducit, & post lectum collocat: tum Cardinalem accedit, & rogatus de Cubicularij valetudine, Afflictam illam esse, idque se è puero ipsius audiuisse, respondit. Quod vbi benignissimus herus accepit, statim ipse ad decumbentem properat: cum quo dum loquitur, personata illa mulier prorumpens exclamat: Ah infelicem me! quam turpiter sum prodita! Tu vale, mi domine. Mihi enim domum eundum ne maritus aliquid subodoretur. Hęc di- *Lusus aulici.*

cens,

cens, per mediam qui cum Cardinali venerant ministrorũ turbam foras magno cum omniũ stupore erumpit. Ipse Cubicularius, quem Iosepho castiorem Cardinalis putabat, è lecto exsiliens, altissima voce exclamat, dæmonem adesse dictitans, & per cubiculum circumcursitandi nullum finem faciebat, attonitis ceteris omnibus, solis Secretario & consciis in risum effusis: ex quo herus quid rei esset sciscitatus, cum risu & ipse abiit: Cubicularius vero tantam deinde mutationem sensit, vt statim conualuerit.

CAPVT XX.

Vrbis Romæ descriptio.

CEterum quum Romæ ita vixerim, vt altera mihi fuerit patria; ingratus sim si optimę nutrici aliquod gratitudinis signum non erigam: tanto magis quod totam eam mihi perlustrare non licuit tantum, sed etiam necesse fuit, dum fere singulis hebdomadis sacra loca ac templa cum reliqua Cardinalis heri mei familia visitaui: quamquam, vt verum fatear, sæpe animo non tam deuoto, quam vanarum rerum curioso.

Vrbs Roma, quæ caput Orbis merito audit, partim sita est in Hetruria, partim in Latio. Suburbium & Transtiberina regio in Hetruria sitæ sunt, pars reliqua in Latio; vti postea e Scriptoribus nonnullis didici. *Situs vrbis Romæ*

Romæ mœnia turribus ornata & munita sunt CXXXVI. quarum multæ sunt collapsæ, multæ ita vestutate exesæ vt indies ruinam minentur.

Portas etiamnum habet X, Pontes VIII. Dicitur tricesimo quoque anno Roma aut inundationem, aut aliud grande damnum sentire.

Roma vetus & noua. Quæ hac in vrbe visu digna sunt, ad duo præcipue capita referri possunt. Primum continet situm, ruinas & rudera templorum, monumentorum & ædificiorum *Romæ veteris*. Alterum complectitur templa & Reliquias Sanctorum, dona & munera Indulgentiarum, deuote sacra loca visitantibus proposita: item Fabricas & Palatia *Romæ nouæ*. Ego ea tantum attingam, quæ à me ipso aut visa aut notata, atque ab aliis comperta sunt, prout quodque in mentem venerit.

Ab

Ab ea parte qua per Hetruriam Romam itur, occurrit primo *Porta Vaticana*, quæ castello S. Angeli est contermina: iuxta quam Prata Quinctia, Tiberi, Vaticanis collibus & vineis clausa. Eo se frequentissime cõferre solita est Romana iuuentus, deambulationis oblectationisque gratia. Voluptati enim præ ceteris hic locus tributus est. Quà autem ingressus in vrbem patet, *Porta AElia*, quam Castelli iam vocant, extollit se ingens illa moles Hadriani Imperatoris, quam extra Vaticanam exstruxerat, vt in ea sepeliretur, & in eadem Antoninorum cineres reconderentur. Hodie Castellum S. Angeli dicitur, quod Angelus exserto gladio ibi loci visus sit vrbem defendere, vt ingens statua Angeli marmorea in fastigio molis reposita testatur. Ab hac arce deambulacra secreta fornicato opere protenduntur vsque ad

Mons & Porta Vaticana.

Castellū S. Angeli

Pontificum palatium quod in Vaticano ſtructum eſt, vocantq; *Curritorium*, per quod Pontifices inde in arcem ſe poſſunt recipere. Caſtello vicinus eſt Pons Aelius, per quem ex vrbe in Burgum via protenditur ad Palatium ſummorum Pontificum. Inde ſub Aelio, medio Tiberi conſpiciuntur ruinæ pontis Triumphalis, per quem Imperatores triumphantes olim pompas in Capitolium ducebant. Sed nos iam ſeptem vrbis montes luſtrabimus.

Capitolium. Ex his præcipuus eſt, quem dixi, Vaticanus, in quo *Capitolium:* olim Tarpeius, & Tarpeia rupes dictus, itemque Saturnius. Diuiditur in arcem & Capitoliũ. Hodie nihil in Capitolio præter Monaſterium, *Aracæli* dictum, quod Fratrum Minorum Zoccolanti ũ & Palatium Senatorum & Conſeruatorum. Eo loco olim ædem fuiſſe Iouis Feretrij, poſtea cum

multis

multis aliis antiquitatum notitiis e doctorum libris didici. In area Capitolij sub prædicto Cœnobio Fons est, supra quem caput marmoreum muro insertum est, cuius magnitudo ostendit fuisse quondam alicuius Colossi. & iuxta fontem inter alia fragmenta reperitur pes & pars brachij è marmore, itidem insignis magnitudinis: quæ idem habent indicium. Sub hoc capite in fonte ipso recumbit ingens statua marmorea, quã *Marforium* vocant. à doctis *Pistorius deus* seu *Panarius* Iupiter esse creditur, quod tumores instar panum circumquaque promineant, alij existimant esse simulacrũ *Rheni* Germaniæ fluuij. Huic affigi quoque solent scripta famosa, responsoria tamen seu antiphona illis quę ad *Pasquinum*, seu Pasquillum publicantur. Hic Pasquinus statua est cuiusdam gladiatoris, brachiis & facie mutila, ante ædes

Pasquillus & Marforius.

cuiuſdam Cardinalis: vbi etiam edicta monitoria & id genus ſcriptorum affigi ſolent. Pro ædibus Conſeruatorum alius fons ex aqua Felici, ſimulacro Romæ ornatus. iuxta eum fontem duo pari formâ marmorea ſeminuda ſimulacra fluuiorum viſuntur, quæ *Nili* ac *Tigridis* numina eſſe plerique autumant, ipſis argumentis perſuaſi, quod vnum Sphynge, quod peculiare eſt AEgypto animal, alterum Tigride, Armeniæ frequente fera, innitatur. De ipſo Pontificum Palatio, vt & de Bibliotheca, nec non Inſcriptionibus, nihil dicam: quòd tum nec per ætatem, nec per eruditionem (quamuis ad eam conſequendam, heri liberalitate quotidie exerceremur) earum rerũ vel capax valde vel cupidus eſſem: quamquam errorem iſtum poſtea, quantum licuit, emendaui, dũ quæ puer videram, viro mihi poſteà librorũ ſugge-

ſuggeſtione in mentem venerunt, vti ex hac ipſa videbis Deſcriptione. Ad radices Capitolij ſacellũ eſt ſubterraneum, eo ipſo in loco vbi Carcer Tullianus fuit. S. Petrum Apoſtolum ibi captiuum detentum aiunt, vnde *adicula* illa appellatur *S. Petri in Tulliano.* In foro Romano, quod inde proxime abeſt ad cliuum Capitolinum *Arcus Septimij* conſpicitur, integer adhuc, in quo multæ picturæ. Non procul inde ſeptem columnę adhuc pulcerrimæ conſpiciuntur. In hortis proximis lacus Curtij fuiſſe dicitur. Forte. E regione vero Arcus Septimiani ſequitur ædes B. Martino nunc ſacrata; vbi olim ſecretarium Populi Romani fuit. Deinde ſequitur recta templum D. Hadriani, in quod ex Capitolio ęrarium populi Romani translatum ferũt. cuius portæ æneæ adhuc integræ. Inde itur ordine ad templum M. Aurelij &

Arcus ſeptimij.

Faustinæ; mox ad aliud BB. Cosmo & Damiano, nunc olim Romulo & Remo, siue potius Castori & Polluci dicatum, antiquissimæ structuræ. Mox ad templū Pacis, cuius bona pars adhuc exstat prope ædem S. Mariæ Nouæ: & bi columna tātæ amplitudinis, vt vix tribus cóprehēdi posit vlnis.

Mons Palatium. E regione ad alteram fori Romani partem, vineæ siue horti Farnesiorum bonam *Montis Palatini* partem occupant: reliquum eius fere ruderibus & ruinis veterum ædificiorum repletum est. Hinc recta peruenitur ad *Amphitheatrum* admirandę molis, vulgo *il Coliseo* dictum. Hinc octo quasi passibus conspiciuntur adhuc vestigia *Metæ sudantis*. Haud longè hinc ad angulum montis Palatini Arcus marmoreus triumphalis Imp. Constantini tropæis & victoriis alatis triumphalibusque ornamentis conspicuus. In arco boario

boario arcus superest siue porta marmorea, vbi ritus victimarij depicti visuntur. Secundum hunc Arcum Schola Græca, nunc ædes D. Gregorij, & ibi *La bocca della Verita.* id est, *Os veritatis* (lapis rotundus, cui faciei incisa est figura) itemque Iani quadrifrontis templum, quatuor habens portas, & in cuiusque frõtispicio duodenas fenestellas, quatuor anni tempora cum XII. mensibus designantes. Paullo post templa Solis & Lunæ.

E regione *Mons Auentinus*, iuxta quem in ipso Tiberi vestigia adhuc reliqua sunt Pontis sublicij, in quo Horatius Cocles diu Thuscorum impetum sustinuit. Hinc itur ad Montem Testaceum, nec non ad sepulcrum C. Cestij Septemuiri Epulonum, pyramidali forma, quod iuxta D. Pauli portã ipsa vrbis mœnia ita diuidit vt media eius pars extra vrbem sit, pars altera in vrbe. Circumeun- *Mons Auentinus.*

do montem Auentinum ab altera parte peruenitur ad Circum maximum.

Quirinalis. *Mons Quirinalis* hodie vocatur *Monte Cauallo*. In eo olim equi fuisser perhibentur inaurati XXXIV. & eburnei XCIV. nunc non nisi bini Bucephali iuxta singulas Alexandri Magni statuas marmoreas integri supersunt; alter Praxitelis, alter Phidiæ, nobilissimorum sculptorum opus. In hoc monte Palatium regium, in quo Papa æstiuo tempore commoratur. habet hortum spaciosum pariter & amœnum, fontibus compluribus irriguum: quos inter præcipuus est, qui in meditullio quasi ipsius horti rupem repræsentat cauernosam, vndique aquis quasi pluuiis scatentem.

Exquilinus. Nō longe hinc procedēdo versus *Exquilias*, in ara Pia, ad quatuor domus angulares quatuor fontes visuntur, & inde Castellum

Aquæ

Aquæductus Felicis, à Sixto V. ita dicti, per quem aquæ magno impetu ruunt. Iuxta est planities spaciosa, quę olim ad thermas Diocletianas pertinuit, quarum ingentem molem ac magnitudinem ruinæ, & inde exstructa noua ædificia arguunt. Nouæ quoque in Exquiliis Tabernæ longo ordine à Sixto V. PP. exstructæ conspiciuntur, artificibus Romanis destinatæ, vt vno in loco cōiunctim artem suam exercerent: sed quia res non succesſit, clauſæ iam & deſertæ relinquūtur. Reliqua fere pars Exquilini Montis hortis eiusdem Sixti iussu adornatis occupatur.

Præter septem præcipuos colles siue montes Vrbis Romæ sunt &, *Montes reliqui.* alij, qui illis tamen partim cedūt vt *Mons Testaceus*, de quo ante: nec non Mons Pincius, in quo ædes SS. Trinitati dicata, exstructa à Regibus Galliæ: Palatium præte-

rea Ferdinandi Magni Ducis Hetruriæ, olim Cardinalis magnificum plane, & hortus ad inuidiam pulcer, inibique infinita & visu dignissima Antiquitatis monumenta.

Ianiculus. Trans Tiberim Mons Ianiculus est, qui hodie *Montorio*, quasi Mons aureus. In eo templum *S. Petri in Montorio*, & domus S. Spiritus.

Templũ S. Petri. In Monte Vaticano visitur tẽplum S. Petri celeberrimum & splendidissimum, cupula admirãdæ & stupendæ fabricæ insignitum, & omnium sumtuosissimũ. Interius plures ordines habet columnarum, quæ magnæ & politissimæ, Sub altari magno medietas SS. Apostolorum *Petri & Pauli*. Parte ea ad quã gradibus ascenditur, columna est cancellis circumsepta ferreis, tali titulo: *Hæc est illa columna in qua Dominus noster Iesus Christus apodiatus, dum po-*

pulo

pulo predicabat, & Deo patri in templo preces effundebat, adhærendo stabat, quæ vnà cum aliis vndecumque hic circumstantibus de Salomonis templo in triumphum huius Basilicæ hîc locata fuit. Dæmones expellit, & ab immundis spiritibus liberos reddit, & quotidie alia miracula facit. Asseruatur etiam in hoc templo caput *S. Andreæ Apostoli*, & cuspis qua Saluatoris nostri latus perforatum fuit in cruce, quæ ab Imperatore Turcico muneris loco ad Innocentium VIII. Pontificem missa dicitur. Pulcerrima sunt hic sacella Gregorij XIII.& Sixti V. ornata variis & elegantissimis picturis, quæ præcipuas historias & res gestas Pontificum & Impp.& aduersus eos exprimunt.

Valuæ siue portæ huius templi æneæ, ingentes, & artificio singulari conspicuæ sunt, factæ tempore Eugenij IV. In harum vna à dextris tres muscæ sunt difficiles

inuentu, & documentum esse solent eorum qui Romæ se fuisse gloriantur, an verum dicant. Est etiam porta sancta, quæ non nisi tempore Iubilæi aperitur, eoque finito rursus clauditur muroque obducitur. Basilicæ D. Petri contiguum est Palatium Pontificale, magnificentia, splendore & magnitudine omnibus aliis antecellens. Tum alia Conclauia, variisque vsibus seruientia, mirabili ordine ac splendore.

Pontes Romæ. Cæterùm supra Tiberim Romæ pontes quondam fuerunt octo, de quibus extremis, pōte *Miluio*, hodie *Ponte mola*, qui extra portam populi, necnon *sublicio*, superius paucis attigimus. Hinc *Aelius* est, Infra hunc *pons Vaticanus* fuit, per quem ibatur in Vaticanum: dictus etiam triumphalis, cuius columnæ aliquot ex lapide cocto collapso vidētur etiam hodie nō procul à ponte AElio. De-in

in sequitur *pons Ianiculensis* & Aurelius nuncupatus, hodie *ponte Sisto*, à Sixto IV. longus est pedes 215. Non procul hinc in medio Tiberi insula est, quæ coniungitur vrbi duobus pontibus. Ille qui spectat versus Latium, olim dictus fuit *Pons Fabritius*, hodie *Ponte di quatre Capi*, à Columnis pusillis quæ iuxta eum sunt, quarum quæque quatuor Capita iuncta sustinet: alter olim *Exquilinus & Cestius*, hodie *Ponte di S. Bartholomeo* dicitur, à templo huic dicato: ante cuius altare magnum puteus est limpidæ aquæ, ex quo eã quotidie hauriunt monachi Cœnobij adiacentis.

Ipsa vero insula habet similitudinem Nauis, dictaque fuit olim *Insula Lycaonia*, consecrata Æsculapio, cuius imago cò fuit apportata ex Epidauro forma serpentis, vnde etiam hodie in horto S. Bartholomæi cõspicitur nauis fa-

cta ex lapide, vt perhibent, Tasio, in cuius altera parte serpens insculptus est. Inde ad teli iactum sequitur *Pons Senatorius*, qui & *Palatinus* nominatus fuit, hodie *Ponte di S. Maria Egittiaca*, à vicina æde sic denominata: hodie vero sex tantummodo sunt, vt ex prædictis patet. In cæteris autem dignissima quoque sunt visu & notatione quæ sequuntur.

Turres. Castellum aquarum siue potius Cisterna Titi Imp. vulgo *le sette sale*, mirabilis fabricæ. Domus & *Turris Neronis* in quo iussu suo incensam vrbem septem dierũ spatio cum voluptate spectauit. *Turris militiæ*, arcus Neruæ Imp. hodie corruptè *arca Noe* vocitatus, eiusque palatij reliquiæ, quibus Ecclesia proxima S. Basilij superstructa est.

Columna Rom. *Columna* ingens *Traiani Imper.* spectabili crassitie & cochlidis structu-

structura in foro Traiani, (Sic olim iste locus indigitabatur, eratque iuxta eum Palatium huius Imperatoris) in ea circumcirca rerum ab ipso gestarum, inprimis Dacici belli simulacra mira arte cælata visuntur. Intus vero gradibus 185. in eius fastigium (vbi Traiani ossa, aurea pila condita olim fuerunt, nunc Sancti Petri statua inaurata ibidem à Sixto Quinto erecta stat) ascenditur: habet autem fenestellas 45. quæ lucem interius præbent. Ipsa columna altitudinis censetur pedum 128. vel vt aliis placet 140.

Columna Antonini Pij, quã ad illius instar Antoninus ipse sibi erexit, cochlidis identidẽ structura, altitudinis pedũ 176. cũ interiore Cochlea, & gradibus 106. ac fenestellis 56. Incẽdio & vetustate nõnihil deformatam, Sixtus v. reparari iussit, inque eius vertice S.Pau-

S. Pauli statuam similiter inauratam statuit; circum quaque res ab Anton. gestæ incisæ spectantur.

Basilica seu *Palatium Antonini*, quæ in vicinia sita fuit, cui Orphanotrophium quoddam ita nunc inædificatum est, nihil vt inde appareat, præter columnas marmoreas ingentes numero vndecim.

Arcus Gallieni Imper. Triumphalis apud ædem S. Viti, ex Tiburtino lapide extructus, sed nullis insignibus ornamentis, ab eoq; catena adhuc dependet, cui vsque in annos proximos clauis semper fuit appensa ciuitatis Tiburtinæ.

Thermæ. Thermæ Neronis iuxta templum D. Eustachij.

Thermæ Antonini Caracallæ ad radices montis Auentini, iuxta templum S. Balbinæ; earumque ingentes ruinæ cum altis parietibus columnisque semisepultis, miræ & magnitudinis & elegantiæ.

tiæ. eius testudines omnes ex pumice fere fuerunt factæ: & verisimile est palatium ipsius Caracallæ iuxta fuisse.

Pantheion, templum olim à M. Agrippa omnibus Diis dicatum, inter vetusta templa nobilissimū est, forma rotunda solidiq; marmoris, vnde lumen tantum per rotundum, quod in vertice eius, siue foramen, siue impluuium intrat. Ante ingressum porticus est insignibus fulta colūmnis. Vulgo *alla rotunda* vocatur S. Mariæ, omnibusque sanctis est consecratum, & adhuc habet hunc titulum: *Templa.*

M. AGRIPPA L. F. TERTIVM CONSVL FECIT.

Aedes circulari forma, quæ olim Iano, hodie *S. Stephano* sacra est, in qua omnium Sanctorum martyria elegantissime depicta. Taberna meritoria vetera Romanorum (vbi emeriti milites & ob vulne-

vulnera aliaque belli accepta detrimenta, bello inutiles ex publico dum vita manebat, sustentabātur) fuit olim, vbi nunc exędificatum est templum S. Mariæ Transtiberinæ: sub cuius altari maiore monstratur fons, ex quo tempore natiuitatis Christi Oleum effluxit continuo 24. horarum spatio. In templi quadam tabula, quo in loco ipsam tabernam fuisse credibile est, hoc Carmen legitur:

Roma vetus veteres dum te rexere Quirites,
Nec bonus in muris, nec malus vllus erat.
Defunctis Patribus successit praua iuuentus.
Quorum consilio precipitat aruis.

Septem vrbis Romæ Ecclesiæ. AEdes *de Sancta Croce in Hierusalem* ad ipsa mœnia vrbis intra portam maiorem & portam Sancti Ioannis: in qua sacellum subterraneum bellissimum Sanctæ Helenæ

Helenæ matri Imper. Constantini dicatum, quæ illud ex terra sancta primum extruxit, inque ipsum mulieres sub excommunicationis pœna ingredi prohibentur: tantum die Sanctæ Helenæ ipsis aditus patet, Secundum hoc templum in adiacente monasterio videtur adhuc ex parte integrum *Statilij Tauri* vetus *Amphitheatrum* lateritium: & ab altera parte, ruinæ lateritij templi Veneris.

Templum *di S. Maria Maggiore*, vbi præsepe, in quo Christus infans cubuit, eiusq; fasciæ, & brachia SS. Matthæi & Lucæ. Sacellũ habet magnificentissimum à Papa Sixto v. extructum. & mero marmore obductũ, in quo monumẽtum Pio v. Pontif. Max. fieri curauit, gratitudinis ergo, quod ab illo in Cardinaliũ Collegium adscitus fuerat, E regione sibi ipsi quoq; monumentum fieri curauit, ibiq;

post

post sepultus est. Ante hoc quoq; templum Obeliscus egregius, sed tamen ex quatuor illis qui Romæ sunt minimus: ab altera parte huius templi, è regione ædis S. Antonij nuperrime columna marmorea, parua quidem, sed elegans erecta est, in memoriam absolutionis quam à Clemente VIII. haud ita pridem obtinuit Henricus IV. Galliarum & Nauarræ Rex anno Christi 1593.

Obeliscus. Pulcherrimus est Obeliscus ante *Templum Lateranense*, totus literis hieroglyphicis inscriptus, & hunc quoque Sixtus V. erexit, & sanctæ Cruci dicauit. Templum ipsum S. Ioannis in Laterano præcipuũ & primum est inter septem principalia, nedum inter alia vrbis Romæ templa. Apud hoc *Baptisterium Constantini Imp.* Locus vbi ille sacro lauamine ablutus fuit, vnde similiter alij ad fidem Christianam conuersi inibi baptizantur.

tur. *Sancta ſanctorum*, Capella in quam mulieribus pedem figere non licet. *Scala ſancta*, cum gradibus marmoreis 18. quos flexis genibus aſcendere & deſcendere, & ſingulis gradibus Aue Maria & Pater noſter ter pronunciare debent ij, qui indulgentias ibi conſequi cupiunt. Dicunt hanc ſcalā fuiſſe in Palatio Pilati, in qua Chriſtus virgis cæſus fertur, ibiq; ſanguinem effudiſſe, cuius guttæ in medio fere ſcalæ cernuntur. Sunt & alia permulta ibi Hieroſolymis allata, lapis ſuper quem Iudæi iecerunt ſortem, tum, qui ſuper quatuor columnas poſitus in altitudinem, repræſentat longitudinem ſtaturæ Chriſti, ibidem.

Quartus obeliſcus itidem à Sixto V. erectus iuxta portam populi, ſic à vicina æde *S. Maria di popolo*, denominatam. *Theatrum Marcelli* inter Capitolium & Tiberim, cuius veſtigia ab vna par-

te adhuc videri possunt: palatia vero Sabellorum superstructa cęteram partem absumpserunt, & capiebat olim dum integrum erat 8000. homines. *Theatrrum Pompeij* olim fuit, vbi nunc palatia Vrsinorum *in campo del fiore.*

Farnesij Palatiũ. In Palatio Cardinalis Farnesij quamplurimæ sunt statuæ pulcræ. Inprimis *Herculis* è marmore, cuius Basis superiori parti hæc instructa sunt:

γλυκων Αθηναῖος ἐποίει.

In posteriore area conseruantur simulacra egregia, vnico saxo ab Apollonio & Taurisco præstantissimis artificibus olim insculpta, quæ fabulam Zethi, Amphionis & Dirces scitissime repræsentant, eruta tempore Pauli tertij Pont. Max. ex ruderibus thermarum Antoniniarum: quamuis posita sint in loco occluso, tamen à statuario Card. facile ad introspiciendam aditus impetratur.

Palatium

Palatium Cardinalis Montalti, in quo & statuæ nonnullæ antiquæ, sed minus nobiles. In stabulo equus mihi mõstratus fuit, ἀνδρόγυνος seu ἑρμαφρόδιτος.

Mansoleum Augusti ad ripam Tiberis è regione molis Adriani, prope templum S. Rochi aliqua ex parte integrum adhuc conspicitur, in horto Palatio cuidam nobilis Romani contiguo, quod multi magna cũ admiratione contemplantur, ex eo quod adhuc superest, insaniam antiquæ illius substructionis facile intelligentes.

Iam etiam extra vrbem paullũ progrediamur; & notatu digna lustremus.

CampusMartius planitiem eam totam complebat, quæ à Quirinali protendebatur vsq; ad pontem Xistum & Tiberim. Non procul à templo S. Laurentij in Lucina, in cellis vinariis multarum ædium, *Extra vrbem.*

Q vide-

videtur ingens obeliſcus, qui medio campo Martio fuerat erectus, literis & notis hieroglyphicis illuſtris: quem ex Hierapoli transferri Romam iuſsit Auguſtus Cæſar, cum duobus aliis, quos ſtatuit in Circo maximo. Hunc longum centum & decem pedes ſcribit Plinius: atque in eo interpretationem philoſophiæ Aegyptiorum contineri.

In ea campi Martij parte, quæ vocatur hodie la piazza di Sciarta, Antoninus Pius erexit altiſsimam columnam cochlidem, altam pedes CLXXV. feneſtellas habet LVI. quæ lucem præbent intrinſecus. Quidam aſſeruit eſſe confectam ex XXVIII. lapidibus. Pars illius exterior continet res geſtas Antonini ſculptura figurarum excellenti, ab hac vocatur ille locus in Colonna.

Vndecim illæ columnæ altiſsimæ, quæ ad templum S. Stephani

in Truglio conſpiciuntur erectæ, ſunt reliquiæ porticus, quam Antoninus Pius ſtruxerat in ſuo foro, coniunctam cum ſuo palatio. Inter columnam cochlidem Antonini,& fontem aquæ virginis erant ſepta campi Martij. Erat autē is locus tabulato denſo ſeptus, in quē cōueniebat populus ſuffragia laturus, quando magiſtratus erant eligendi. Collis ille qui aliquantulum eminentior tollitur in campo Martio,inter Antonini columnam & S. Laurentij in Lucina (quem hodie Monte Alcitorio nominant) fuit antiquis mons citatorum: in quem ex ſeptis ſe recipiebant ſingulæ tribus poſt lata ſuffragia. In eodem colle fuit Curia, quæ Villa publica dicebatur: in qua recipiebantur hoſtium legati, quibus non licebat vrbem ingredi, vel in Græcoſtaſi diuerſari.

Haud procul hinc eſt fons a-

quæ virginis, humili & depresso aquæductu per Campum Martiũm influens: hodie fonte di Treio dicitur. Et hæc sola ex omnibus aquis, (quas tantis sumtibus & aquæductibus tam sumtuosis antiqui principes in vrbem introduxerunt) remansit superstes ad vsum ciuium. In hoc Campi Martij tractu sunt ædes aliquot, vt, Pompilij Nari, Gacidiorum, Desiderij Vrsati, Antonij Gabrielis, in quibus multæ visuntur antiquę statuæ. In primis vero palatium Carpensis: in quo tot statuæ, tot inscriptiones videntur, vt mirari nemo satis posit studium tãti viri in exquirendis iis, quæ ab antiquitate peruenerunt ad nostra tempora, magna omnium doctorum vtilitate & voluptate. In primis repositum est ibi in quodam cœnaculo Veneris nudæ corpus, cuius artificium superat reliqua omnia, quæ Romæ sunt. Id si esset

planè

planè integrum, nulla esset toto mundo statua, quæ huic conferri posset: neque abs re creditur esse Veneris Cnidiæ toto orbe celebratæ. Probe hanc Venerem est iuuenis non minoris artificij: in quo tanta est membrorum proportio, tam elegans & pulposa masculorum conuexitas, vt sculptorum & omnium artificum oculos cum summa admiratione fixos detineat. In alio Musæo huic tænaculo contiguo statuæ duæ sunt, Satyri & pueri plorãtis: quibus nihil elaboratius aut artificiosius; multaque præterea omnis generis, quibus Roma nihil possidet magnificentius, nihil admirabilius.

¶ In colle Pinciano, à Pincio senatore ita dicto, fuit sepulcrum Domitiorum, in quo Nero sepultus est. In elatiore collis parte videtur arcus siue concameratio fornicata, quæ olim fuit pars tem-

pli Solis: prope quam est templū S. Trinitatis, à Ludouico XI. rege Galliæ structum. Non procul abhinc iacet obeliscus ex lapide Thasio factus cum hac inscriptione: *Soli sacrum*. Prope Collinā portam non procul à templo Susannæ Salustius habuit hortos amœnissimos & splendidas ædes: quarum ruinæ adhuc sunt superstites in ea valle, qua itur ad portam Salariam. In media hortorum parte videtur obeliscus non adeo magnus, literis signatus Aegyptiis hieroglyphicis, qui Lucæ sacratus est. Locus adhuc hodie vulgo dicitur Solostrico. Campus sceleratus siue via scelerata (in qua Vestales virgines, quæ stupro violatæ erant, viuæ defodiebantur) complebat id totum spatiū, quod est à porta Collina, sub ædibus & portis Salustianis, vsque ad portam Salariam.

Extra portam Quirinalem, ad fin i-

sinistram viæ Salariæ partem, sunt ruinæ templi Veneris Erycinæ: cuius festum solennibus ceremoniis celebrabant matronæ pudicę, Augusto mense, ad simulacrum Veneris Verticordiæ, quæ maritos vxoribus credebatur reddere placabiles & beneuolos: ad hoc templum fiebant ludi agonales, vnde porta nomen sortita est.

Paulo remotius, super Aniene pons est adhuc integer, quem longa inscriptio docet à Narsete structum fuisse. Ad hunc pontem Annibal imbrium inundatione vehementi vexatus, obsidione soluta, castra remouit ab vrbe & discessit. Paulo inferius Tyberi miscetur Anio: ibique Torquatus Gigantem Gallum superauit, & ab eius collo torquem aureum detraxit, à quo nomen postea cepit.

Cæterum (hoc obiter) prope Tybur inter Anienis arenas, legũ-

tur amygdala, anisum, feniculum, & alia plurima petrificata, quæ circumferuntur pixidibus in conuiuiis, vt matronæ & conuiuæ deludantur, existimantes esse ex saccaro facta tragemata, quæ vocantur passim confette da Tiuoli, & superioribus annis corpus hominis interfecti & coniecti in Anienem, adhæsit radicibus arboris, quæ fluuij ripam ingrediebantur, factumque est longo temporis interuallo, vt corpus à putrefactione conseruatum, in lapidem sit conuersum,

Ad portam Salariam demonstrantur reliquiæ templi antiqui, quod Honori sacrum fuit: & domus illius siue suburbani, in quo Nero Imp. adiuuante Sporo, cuspide sub papillam adacto se interemit, ne in manus & potestatem senatus veniret, qui illum poscebat ad supplicium.

Sub hortis Carpensibus plurimæ

mæ sunt cameræ & fornices obscuri, & longo ordine producti: hos nonnulli volũt esse officinas, in quibus conficiebatur & elaborabatur minium: alij malunt eum locum adsignare habitaculis meretricum, quæ eo se recipiebant tempore Floralium ludorum; qui celebrabantur in circo Floræ fornicibus his adiacente.

Sub Quirinali monte sunt ædes Buffalorum, paruæ quidem, si conferantur cum maioribus illis palatiis Cardinalium & principum virorum, sed quæ cæteris nõ cedũnt omni ornamento antiquitatis. Hortulus est consitus diuersis herbis rarissimis, & arboribus, palmis, cedris, malis Punicis ac medicis, myrtis & aliis. Palmæ enim videntur Romæ multis in locis; sed nullæ gerunt dactylos præterquam eæ, quæ sunt in horto S. Mariæ del popolo, & S. Mariæ in Transtyberi. Huic hortulo

fons est additua, ex tophis marinis efformatus affabre in speciem rupis naturalis, tantæ pulcritudinis, tantorum sumtuum, compositionis tam raræ, vt nihil speciosius vsquam videri posit. Disposita sunt diuersis in locis conchylia pretiosa, quæ margaritarum referunt splendorem, & ingentes cochleæ Indicæ lucidissimæ, colore iridis & vnionum. Totaque hæc rupes artificiosa venustissime tegitur lauris, cedris, tamariscis, & altis arboribus, quæ præbent vmbram fonti subiecto: sub quibus simulacra sunt tria Musarum elegantissima: & Caracallæ Imperatoris, qui pallio marmoris incogniti tectus est. Disposita sunt vndique signa, quæ suis è loculis extant, vt Demetrij, Maximini, Philippi, Claudij & aliorum. Ex rupe fontis eiiciuntur aquæ limpidissimæ, per tubos & canales æneos mirando artificio. Lithostratum

tum ex marmoribus compactum est exquisitissimis, opere tessellato, ex chalcedonio, porphyro, alabastro, thasio, pario, ophite, Marmaridum & Aethiopum lapidibus. Opus summa admiratione dignum; quodque, licet multo minus sit, pulchritudine tamen & artificum inuentione potest conferri cum fonte Iulij P. M. qui ad portam videtur Flaminiam. In summa, quicquid in domo patritij huius ciuis spectatur, dignum rege & opulentissimo puta principe.

Hæc de vrbis compendio, charissima mea nutrice memoriæ mandare volui. Cęterũ quia æstatem plerumque vel Tibure, vel in aliis vicinis locis exegimus; nõ possum quin illorum quoque vtpote amœnissimorum descriptionem ex aliis adiungam.

Tusculum plerumque ipse Pontifex animi caussa commigrat *Frascata.*

vulgo *Frascada*, oppidum Sabinorum, à Telemacho Vlysſis filio conditum, dictumq́ue quaſi *Dyſcolon*, quod aditū habuerit difficilem: in dorſo enim Albani montis ſitum, Catonum natalibus, & villa Ciceronis celebre, & coniunctione cum Friderico Aenobarba Imper. nunc penè deſertum, & in humiliorem montis partem translatum, loco amœniſsimo, ſalubri, & aquis abundāte, verſus Orientem montibus circundatum, cæteris partibus planities & ſylua. Olim inſtaurata à Paulo Tertio Pontif. Vno inde milliario monaſterium S. Mariæ cryptæ ferratæ, quod inhabitant homines Calabri imitantes regulam D. Baſilij, & Græcorum ritu ſacra facientes. In horto tria ſepulchra antiqua, in quorum vno homines inſident Elephantis, Cameelis & Leonibus, & baſis cum virorum mulierumq́ue imaginibus pulcherrima.

Eo

Eo in loco M. Tullij Tusculanum fuisse nonnulli auctores sunt. Strabo Tusculi collem fœcundū fœcundis aquis & regiis ædificiis abundasse refert, & continua esse loca, quæ ad Albanum vergunt montem, eandem tum virtutem, tum apparatum magnificum habentia. Aquam Virginis, quæ hinc via Prænestina ad VIII. milliare Romam perducitur, in villa Luculli hic inuentam, Blondus asseuerat. *Tuscul.*

Præneste, vulgo *Palestrina*, oppidum Sabinorum in decliui monte situm, vel à natura loci nomen habens quod præstet montibus, vt Sex. Pompeius; vel quod iliceta ibi fuerint, vt vult Seruius; vel à Præneste Vlyssis nepote, vt Solinus & Martianus Capella; vel à Cæculo Vulcani filio, vt Virgil. Nobilitatum cæde Marij, à templo Syllæ, quod in eo fortunæ dicauit, cuius apud S. Agapetum *Præneste.*

 hodie

hodie vestigia extant, & eius etiam Lithostrati, de quo Plinius meminit. Fuit autem tanto sumtu artificioque factum, vt simile illic non viderim, & vt coniici potest, res à Sylla gestæ in eo repræsentatæ fuerunt. In domo Episcopali multæ imagines antiquæ, & simulacrum Fortunæ marmoreum, cum inscriptionibus ab aliis notatis. Alluitur Venestri fluuio. Mons in quo conditum est oppidum olim Auentinus, vt Sequester ait, nunc, vt Lexica habent, Aretinus dictus est. In radice montis, cui quasi affixum est oppidum, castellum fuit aquæ, vbi fornices nouem alti & ampli, singuli quatuor habentes ostia, cernuntur. Ante ingressum Castelli XXI. fenestellæ sunt, quibus statuas imaginum suarum veteres imposuerunt.

Fuit in Prænestinis montibus Horatij Poetæ villa, vbi nunc Ecclesia

clesia S. Ioannis in Campo Horatij, vel vt alij dicunt, S. Mariæ in villa. Prenestinæ etiam viæ in syluis proximis nõ obscura apparẽt vestigia. Arx summo monti imposita est, cuius dominus Steph. Columna.

Tibur, vulgo Tiuoli, oppidũ Latij in monte situm, à Tiburto Argiuo conditum, à Gallis primo euersum, mox instauratum & auctum, Horatij poetæ secessu cantatum, loco salubri & in primis amœno, propter cataractas Anienis, qui in Montibus Trebanorum oritur, eo loco qui nunc vulgo *del Gozzo* dicitur, ex altissimo monte Tiburtino præceps in profundam vallem decidens, tanto impetu, vt fumum agere vnda videatur. Iuxta Tibur incipit esse nauigabilis, & per viridem planitiem placide labens, Romanos Sabinosque disterminat; tertioque ab vrbe milliario in Tiberim *Tibur.*

rim influit, aſpectu pulcer, potu dulcis, ingredientibus primo frigidus; mox caleſcens, dentes atq; ebur immiſſum candidius facit. Pontes quatuor habet, ſed inſigniores *Mammeum*, à Mammea Alexandri Imper. matre dictum, fornice vno ingenti, & duobus paruis: & Lucanum à Planco factum quatuor fornicibus: iuxta vtrumque Inſcriptiones antiquæ leguntur, quæ ab aliis relatæ. Ante ingreſſum Tiburis in quadratis baſibus erectæ imagines Leonis, & equi, inter quos certatum fuiſſe ferunt de Tiburtinorum & Romanorum Imperio, ſed equus victor exiſtens, Leone pluribus vulneribus ſauciato, opes Tiburis ad rem Romanam traduxit. Eſt & tertia baſis in modum arcus facta, cui impoſita tabula marmorea, in qua vir vnus ſacrificans, & alter cranium hominis tenens, in medio circulus, in quo auicula, & poſt vnum

num

vnum virum cuniculus, ante alterum hircus, de qua nihil certi referentes incolæ, thesaurum ibi conditum somniant. In radice montis, antequam in oppidum ascendatur, templum ingens, rotundum & vetus, nunc Diuæ Virgini sacrum, olim Herculis fuisse asserunt. In editiori oppidi loco, aliud rotundum, ex cuius porticu XII. adhuc columnæ supersunt, Sybillæ, vt aiunt, Tiburtinæ olim dicatum, & medium inter duo præcipitia Anienis. Locus vbi maximum præcipitiũ est, propter altitudinem vulgo *il Inferno* dicitur. Castrum quod vrbem despicit à Pio Secundo Pontifice incredibili celeritate à fundamentis destructum, & extructum, est pulcrum & munitum.

Legitur versus IN PORTA Ant. Campani. (*perbis*,
Grata bonis, inuisa malis, inimica su-
Sum. sibi Tybur enim sic Pius instituit.

CAPVT

CAPVT XXI.

Gusmanus post multas nequitias à Cardinali dimittitur.

SVpra audiuistis, quibus modis Secretarius Cardinalis (cui Nicolao nomẽ erat) Cubicularium, herum meum minorem, ludificatus sit. Id dici non potest quam animo meo molestum fuerit. Quũ verò animaduertissem, hero meo non ingratum fore, si par pari referrem, etsi non ignorabam periculosum esse iocari cum maioribus, animum cohibere non poteram, quin ingenium meum periclitarer, & me non è veruecum patria esse ostenderem. quinetiam honori mihi futurum putabam, si talis ac tantus vir à me delusus fuisset. Tempori ergo insidians, quũ Secretarium scribẽdis litteris occupatum scirem, clam famulum ipsius

Iuuentus incauiè cupida.

ipſius purgandis heri veſtimentis occupatum accedens, Eho, inquã, Iacobe! A'o tibi, mihi optimæ pernæ fruſtum vtriſque ſufficiens ad manus eſſe: ſed nec panis deeſt. tu ſi vinum nobis procurare poſſis, lautitiarum mearum participem te fecero. Sin minus, Vale. ego alium quæram cui parata ſit copia. Hac ille ſpe percuſſus, Quęſo, inquit, ne foris quæras, quem hîc habes, ſi velis, contubernalem. Vinum in promtu ſcio. Tu modo tantillam moram ægre ne feras, & hic paulliſper me exſpectes. Quũ ille abiiſſet, ego puluiſculo primum quem ei vſui iam parauetam, Secretarij calligas, quas ille ſemipurgatas reliquerat, deinde vino quoque pauxillo, quod in vitrea lagenula attulerã, conſpergo; rurſuſque ita omnia compono vt fraus apparere non poſſet. Iam ille poculum vino plenum attulerat, quum ecce herus Iacobum

Illuſor illuditur

bum inclamat: qui impatientissimus, degustata vix obiter buccella, mihi integrū fere ientaculum reliquit. Secretarius quum caligas induisset, nescio quas morsicationes sentire cœpit, tanto magis quod cute esset admodum hirsuta. tandem accedente æstu (Caniculares enim erant) caligæ ita cuti adhæserunt vt vnà cum cute vix femoribus ac pedibus auelli potuerint. Ille insano more famulum inclamare, rogare quidnam rei esset quod cuti tam tenaciter adhæreret. Illo nescire se dicente, Cubicularius de industria superueniens, Sic ars, inquit, deluditur arte. ne ægre feras te veterem gladiatorem à tyrone supplantatum. Scis quos risus mihi paraueris. nunc te quoque compensatum ludibrium haud ægre ferre oportet. Ille indignari, fremere, atque adeo frendere dentibus. Sed quid ageret? Quæ alij

fece-

feceris, pati oportet. Amotis vix omnibus, caligas vnà cum magna hirsutæ cutis parte exuit; altum dolorem corde premens.

Quum bimestre fere hoc modo Cubiculario inseruiissem, Cardinalis ingenio meo summopere delectatus, rursus sibi me præstò esse iubet. Sed quid dicam? Pudorem semel abieceram, nec eius recuperandi postea vmquam mihi potestas fuit. Audisti forte fabulam. si non, audi. Idem iter vnà fecerant, Verecundia, Aer, Aqua. Iam digressuri comites, alter alterum rogat, vbi quisque postea rursus conueniri posset. Aer respondit, se circa montium summma semper vagari; Aqua, locum sibi esse in intimis terræ visceribus, è quibus ad terram profluat: at Verecundia, Ego vero, inquit, vt verum vobis dicam, vnde semel discessero, frustra ibi postea me quæ-

Verecundia postliminiũ vix redit.

quæras. Id ſane in meipſo expertus ſum. Quis enim non credat ſuperioribus malis edoctum, omnia porro vitaturum quæ offendere herum aut alios poſſent? Sed verum eſt, ſi vel maxime

Vis naturæ & conſuetudinis.

Naturam expellas furca, tamen vſque recurret.

Mihi iam palatum & inteſtina deliciis, manus furtis, ingenium omne fraudibus aſſuetū erat. Credo, ſi in faſtigio Vaticanæ molis conſtitiſſem, & infrà occaſionē aliquam furandi aut nequiter aliquid patrandi vidiſſem, me prono lapſu vltro me deiecturum fuiſſe. Nec me terrebant pericula, ſine quibus ſciebam nullum vmquam facinus magnum fieri & memorabile. Nullum vitæ vſum capit qui mortem timet. Vidi ego *Metum* vultu pallido, membris debilibus, cute vix oſsibus hærente, depictum. Et profectò ſeruilis

lis res est Metus, præclaris conatibus muxime aduersus. numquam incipit· numquam desinit: similis cani allatranti omnes, mordenti neminem: animæ carnifex assidue repræsentans ea quæ vitari non possunt. Vtinam vulgatos hos tum recte intellexissem versiculos! *Metus qualis.*

Oderunt peccare boni, virtutis amore.
Oderunt peccare mali, formidine pœnæ.

Virtutem non nôram. quomodo amare potuissem? Malus eram: sed nec pœnæ metus à peccato me cohibere poterat. illam quidem metuebam, sed quia absens erat, contemnebam; at præsens voluptas ita arridebat vt nihil nō eius caussa tam faciundum quam patiendum putarem.

Delectabatur herus meus maxime conditur is, ex Hispania aut aliunde

aliunde allatis. earum vasa vacua pueris nobis deinde in vsum cedebant, quibus talos, chartas lusorias, cingula, sudariola, & id genus nostræ sortis suppellectilia asseruabamus. Iusserat vero herus Oeconomum vasa aliquot diuersarum conditurarum, quæ recentes venerant, emere: quibus domum deportandis nos pueri destinati fuimus. Excogito strategema, quo efficerem vt merces illæ vectigal mihi soluerent. Extremus omnium onus humeris accipio: inde quum meum præterirē cubiculum, celeriter vas plenum intus depono, vacuum vero alterum, quantum poteram, obturatum, in cellam defero, & aliis quæ cæteri comportârant, plenis vasis adiungo. Ad cœnam cum aliis mensæ astantem, infit ad me Cardinalis: Quid tibi de bellariis istis, tam recentibus & sapidis videtur, Gusmane? hic quidem aul-
la

la clauis, sed nec manus iuuare te poterunt, vasis omnibus integris & obturatis. Respondeo, earum rerum minus me iam esse cupidum: si tamen ingenio vti velim, non defuturas mihi aliquid etiā è tam bene custoditis rebus inuolandi rationes. Tum herus, Equidem, mi Gusmane, si arte tua intra octiduum è cella hac ad te aliquid possis traducere, non modo non succensebo, sed etiam id omne tibi donabo. Si autem id non possis efficere, multam seu pœnam tibi ipse indicas volo. Ego, Octiduum, mi here, totam sæpe hominis vitam absoluit. Tantum ego temporis spacium non posco: sed conditionem ita accipio, vt nisi ante crastinā cœnam effectum dederim, pœnæ mihi infligendæ arbitrium sit penes Nicolaum Secretarium, à quo scio impense me, scilicet, amari: vt qui adhuc picem oleat, & glabram habeat

cutem, hæc magno audientium, etiam ipsius heri risu excepta. Sequenti die inter prandendũ herus mihi illudere, rogare quid astutia mea effecissem: vbi essent promissa illa bellaria? addens, Nicolao iam satis superque esse vbi dolorem suum vlciscatur. Ego, Nicolaus quidem, *here Illustrissime*, sat scio à me abstinebit manus si quod pactum conuentũ, ratum habeatur: at meas conditurae illæ effugere non potuerũt. Inde, quũ iam tempus esset bellaria inferẽdi, proripio me in meum cubiculum, & è vase illo quantum videbatur in patinam effundo, & herili mensæ impono: qui miratus (nam & ipse paullo ante in cella fuerat) vnde ista ego depromsissem, Oeconomum iubet statim diligenter omnia vasa inspicere. quo renunciante, omnia salua esse, herus Nicolao, Tibi, inquit, ego Gusmannum ex pacto castigandum

gandum trado. At ille, Nihil mihi rei cum tali homine, cuius vmbræ etiam appropinquare nolim. Amico ego illo quam inimico vti malo. quid enim aliud lucri fecero, quam vt ille crabrones in me irritet, qui me viuum quasi excarnificent? Ego gratia ipsius nolle me vti, aio, vt cuius caussa triumphet. Et, inquam, vbi rerum testimonia adsunt, quid opus est verbis? Conditura hæc ex illis est quas heri domum deportauimus: cuius integrum vas plenum ecce in meo cubiculo. Hic herus obstupescere frontem ac pectus cruce frequentissime signare, omne tempus longum ducere, vsq; dum sublatis mensis rem ipsam inspiceret, me comitante. Cellam ingressus vasa numerat: quumq; numerasset omnia, me quoque numerare iubet. Numero & ego. Ille, iurare ausim, mi Gusmane, te tua pecunia bellaria ista emisse, at-

que ita imponere nobis voluisse. Ego: Numerus quidem iustus est: sed lupus numeratas quoque oues deuorat. Sed vt verum appareat, mittat, si placet, Illustrisima Vestra Dominatio vnum aut duos è ministris, qui vas plenum inde apportent. Id quum factum, & inquisitione facta, inter plena vasa vnum vacuum, vel potius scrutis & veteramentis meis plenū repertum esset, mirati omnes sunt meam astutiam, ac nihil magis scire cupiebant, quam quibus artibus id effecissem. Sed ego sedulo quidquid eius rei erat celabam, hero tamen soli mysterium hoc indicaui: qui vt promisso satisfaceret, primum vasculum non tantū mihi reddi, verū alterū quoq; addi iussit. Nec ego munus aspernatus sum; mox tamen omnia inter contubernales distribui, vt

Animus generosus

nobilem meum ac generosum animum omnibus probarem, quē

herus

herus non minus quam astutiam meam demiratus est. & iam tum proculdubio me abegisset, nisi ætatis meæ rationem habendam sibi duxisset. tum illud quoque verebatur, ne extrusus, alibi ad maiora obhærescerem flagitia. Diffidentiam ergo omnem, quantum fieri poterat, dissimulans, humanissime mecum & agebat & loquebatur: adeoque vix vmquam delicatũ aliquid degustabat, quin mihi quoque aliquid porrigeret, sic inquiens: sit mihi hæc arrha pacis tecum, mi Gusmane. non minus ego quam D. Nicolaus dissidium mihi tecum esse nolo. Buccella hac iam contentus sis: quam tibi velut tributum dando, vasallum me tuum agnosco. Et hæc quidem vultu læto admodum & exporrecta fronte, audientibus quibusque non sine suo & aliorum risu ita dicebat, vt ex animo beneuolo loquutum facile appare-

ret. Erat enim vir placidissimo ingenio, moribus inculpatis, magis tamen ex læto quam tristi aliquid trahentibus. & vt suos amabat & fouebat, ita vicissim ab eis amabatur tamquam communis omnium pater, & vt numẽ aliquod colebatur. Et sane desipiunt, qui quum famulos despicatui habeãt, magnifieri ab eis volunt: vt & illi qui male mercedem soluunt, interim familiam ad omnia obsequia obstrictã & promtã volunt. Fieri non potest vt ei quis bene velit, à quo nihil ipsi bene fit.

Heri quales esse debeant.

Non multo post Genua ad herum meum perlata sunt vascula aliquot condituris plena. Domo tum forte aberam: eoque ab hero &familiaribus consultabatur, vbinam deliciis illis tutus à manibus meis locus quærendus: tanto magis quod ad exsiccandum quem in via contraxerant, nimium humorem, soli exponere eas oportebat.

Gusmanus deliciarum appetens.

Erat

Erat qui diceret etiamsi in ipsam vrnā qua C. Iulij Cæsaris cineres olim inclusi, conderentur, non tamen à manibus meis cariturас periculo. Auditis reliquorum sententiis, herus consilium cepit longe ab illis diuersum: quia, inquiēs, nullibi tutas existimatis, præstat vt ipsius custodiæ hæc omnia cōmittamus. Quare ad se vocatum ita alloquitur: Quid de conditu-ris his tibi videtur, Gusmane? Vides madore fere corruptas esse: quid cōsilij hic aut remedij? Ego, Mihi quidem, inquam, optimum videtur, vt simul ac semel absumantur: ne scilicet quid pereat. Ille, Quid censes? An putas posse te hæc omnia absumere? Tā multa quidem hæc nón sunt, inquam, si multum sit temporis; mihi tamen non est tanta ingluuies, vt rei huic parem me præ ceteris autumare ausim. Volo ergo, aiebat herus, vt hæc tu in tuam accipias

custodiam, & madida soli expo-nas quoties necesse est. Fraudem committere hic non potes. En a-perta tibi omnia vti sunt consi-gnantur. Per te quidem securo mihi ab omni damno, hac quidē in re, esse licet. Nescio quid futu-rum sit, respondeo. hoc scio, ne à meipso quidem me securum esse. Filius enim Euæ sum, quam faci-le autem potest fieri vt in hortū hunc deliciarum positus, à serpen-te carnis meæ tentar, ac vincar! Subridens herus, vt, inquit, bene omnia habeant, & tu tentatio-nem, ego damnum vitem, en hæc omnia vti sunt tibi trado, tu vide vt omnia & singula sic vti sunt reddas. Verbum hic satis est. Respondeo ego, non illud, sed a-liud quiddam animo meo obuer-sari. Roganti, quidnam? Aio, Te-neri animi ac imbecillis con-scium, illud me præuidere, si pro-uinciam hanc in me suscipiam, fo-re, vt

re, vt bona pars fideicommissi à dentibus meis contrucidetur, & per fauces in stomachum descendat, nec tamen vlla strages appareat. Tum herus, Periclitari tibi hic omnes ingenij tui vires licet, & ad satietatem quæ maxime palato tuo arrident, ingerere, ita tamen vt postea quando mihi es redditurus, nullus palam sit defectus: qui si appareat, tu quod deest de tuo suppleas duplum peculio. Accipio conditionem: & sequenti die dum ad solem madida sicco, odore fragrantissimo florũ citriorũ & limonũ melle ac saccharo conditorum percussus, abstinere non potui quin superiori parte omnino illæsi, sed inuersa, cultello fundum scrutatus, quantum satis mihi visum fuerat, partim in ventrem congesserim, partim asseruarim, suppletaque chartis laceris lacuna, superiora ita reconcinnârim, vt ne vestigiũ quidem

dem aut ſuſpicio fraudis deprehendi poſſet. Ad cenam bellaria me inferentem herus rogat, quonam modo cuſtodia mihi procederet. Quod ſi cetera ita ſe haberent vt quæ iam appoſueram, induſtriam &fidem meam laudare, ego ingenium meum oſtentaturus, apporto omnes capſulas, eaſque apertas hero omnes oſtento: quo nihil deſiderare ſe dicente, in patella pauxillum quid eius quã dixi couditurę ſimul promo, & quærenti hero, quid rei hoc eſſet, reſpondeo, velle me Illuſt. S. D. de furto meo aliquid communicare. Replicanti permiſiſſe ſe non vt furarer, ſed vt ad ſatietatem ederem, reſpondi, & deguſtatum aliquid à me non leuiter, & hoc tantum teſtimonij cauſſa ſeruatum. Inſpectis diligenter omnibus capſulis, quæ multæ erant & variæ tam materiæ quam magnitudinis, quum fraudem herus deprehen-

prehendere non possēt, quærit, Quænam illa esset in qua furtum factum. Commonstratam & apertam diligenter rimatus, multo magis quam antea ingenij mei subtilitatē mirari cœpit. Ego etiam (ô sinistram mentem!) mihi ipse applaudebam, non considerans, istam ingenij, vt interpretabar, laudem omnem mihi fidem apud herum abrogaturam. Adijciebat tamen mihi proderat, quod non facile quisquā familiarium iritare me auderet: quum ego omnibus fere & singulis, meis præsertim æqualibus quotidie fere ludos facerem & negocij quid exhiberem. Obdormierat aliquis: ilicet dè calceis ipsius & tibialibus actum erat, vario strategemate, dum è somno illos excitare studio, à me vexatis. Quotidie duabus horis ante meridiem, & totidem pomeridianis magistrum ad animos nostros tam bonis mori-

Exercitia puerorū, &c.

bus quam artibus imbuēdos, nobis appositum, audiebamus: cui, etsi nequam, valde charus eram, ob summam ingenij agilitatem, qua nullo fere labore intra breue tempus non mediocrem Latinæ & Græcæ linguarum, nec non aliarum artium ac scientiarum cognitionem eram consequutus. Reliquum temporis quod ab heri seruitio immune erat, ridiculis historiis & fabulis legendis, cantando, ludendo, aliaque talia faciendo consumebamus. Quod si domo prodiremus, id eò tantum fiebat, vt cauponibus insidias strueremus. Noctu per plateas discurrendo, fœminarum meritoriarum ædibus lasciuo ac turpi cantu, vel etiam pulsu, aut saxorum iactu illudebamus. Forsan tu, ô adolescens, vitam hanc suauem existimas? At ita viuam valeamque, vt mihi sordebant ac displicebant omnia. Suspirabam ac

ac gemebam dies noctesque, & præsentis mei status pertæsus, incertis & quarum capax non eram rebus inhiabam, præsertim quum prima lanugo malas mihi inuestire, immò obtegere inciperet. Minime omnium dubito, si frugi fuissem, ab hero non defuturas mihi fuisse promotiones. Ego vero tantum abest vt honestis studiis & obsequiis heri aliorumque beneuolentiam mereri studuerim, vt plerosque imprudentia mea & licentiosis facinoribus offenderim. Sed vix quidquam magis me tenuit ac perdidit quam ludendi cacoethes & insanabile vulnus. Huic vni studio ita eram deditus, vt omne tempus mihi perditum, immò acerbum existimârim, quod ei non impendissem. nec domi tantum cum contubernalibus, sed foris etiam designatas obibã stationes. Et vt in ceteris meis actionibus, ita hic quoque summa v- *Ludendi lubido.*

tebar libertate, nec vlla erat fraus cuius non essem peritus, præsertim in Primeræ, vt vocant, lusu. Quæris forte, cur non earum imposturarum aliquas recenseam? Equidem facerem isthoc nō quidem eum in finem vt vsurpare, sed vt ab aliis vsurpatas notare queas: nisi mihi ita videretur, ab omni lusu (tali quidem vbi pecunia periclitatur) iuuentuti abstinendum esse. O peruersos homines, qui reanimo recreando inuenta ad eius carnificinam abutuntur! O quantos angores & mœrores sæpe sensi, quum numis omnibus perditis, à victoribus insuper ludibrio haberer! Alia taceo tam damna quam pericula, quæ profusa illa ludendi parit lubido. Licet autem omnibus noxia sit & indecora, in nemine tamen minus ferri potest quam in famulo aut ministro. nec scio ego cur panem meum ei homini præbere

bere velim, qui neglecto ministerio, nihil aliud cogitet ac somniet, quam lusum. qui absumto peculio, mox ex ipsius patroni facultatibus ludendi quæsiturus sit materiam. Vitium hoc in me herus cane & angue peius oderat, & tã benignis admonitionibus quã acerbis increpationibus emendare studebat. Sed quum nihil se proficere cerneret, dimittere me statuit, ita tamen vt si vel tenue aliquod emendationis signum animaduertisset, me lubenter fuerit retenturus. Accidit vero vt perditis die quodam omnibus quos habueram numis, tandem etiam ipsa vestimenta mea deposuerim, eaque itidem fere omnia perdiderim. O bone Deus, qui tum fuêre mei angores! Inter quos domũ reuersus, clam cubiculo me includo, certus non exire donec ipsa fames me expelleret. Sed quo prætextu? Morbum simulare nõ aude-

Gusmanus vestes lusu perdit.

audebam, quod ſcirem Medicos ſtatim ab hero, pro valetudine ſuorum nimis quam ſollicito, ad me ſummiſſum iri. Sed nec diſſimulare aut negare poteram factũ quod iam in ore omnium erat. Interea herus abſentiam meã miratus, rogare vbi eſſem: an forte mihi mali quid accidiſſet, aut litigium cum aliis intercederet. Quũ muſſarent omnes (nôrant enim delationes ac delatores ipſi inuiſos) tandem rem ipſam ipſe expiſcatus eſt: ac deprehenſa veritate, veſtiri me, ac deinde dimitti iuſſit: quod quidem tam indignis ego tuli modis, vt ſine vlla deprecatione, cum ira diſceſſerim: non ſecus ac ſi herus alere me929 ocioſum & ad omnia mea flagitia conniuere cogeretur. nec poſtea vmquã, licet humaniſſime inuitatus, in ædes ipſius redire volui: licet intellexerim eum in finem omnia facta, vt cognitis meis erroribus,

Iuuentutis mores.

ipsa admonente necessitate, ad frugem redirem. Ego verò absentia (ô summam dementiam!) iniuriam, vt interpretabar, mihi factam vindicare volens, pertinaciter me vmquam in Cardinalis, tam liberalis, ac benefici patroni mei, conspectum venturum negaui. Sed vnum scilicet restabat, vt quum nec bonis nec malis verbis, atque etiam verberibus corrigi possem, tandem ab ipsa egestate & multiplici miseria delictorum meorum admonerer. Ah quam male tum & præsentibus me accommodare, & melioribus rebus, quarũ certa mihi spes erat, seruare poteram! quàm ingratus erga eum, qui tanta charitate me complexus fuerat! quam negligens earum rerum quæ ad salutem meam pertinebant! quam superbus & arrogans erga herum mansuetissimum! quam surdus, quam obstinatus ad omnes & admo-

monitiones & increpationes! quã brutus ad omnes rationes, quibus vitæ mihi ſuadebatur emendatio! Fateor, ſi vterque meorum parentum, quorum operâ lucē hanc aſpexi, adhuc fuiſſent ſuperſtites, aut ad viuos rediiſſent, & ſumma fortunæ proſperitate vſi eſſent, tantum mei cauſſa numquam facturos fuiſſe, quantum optimus ille herus meus fecit. neque enim ego cum il'o vt hero, neque vt cũ patre, ſed quaſi cum æquali viuebam & agebam. non indignabatur, non iraſcebatur; ſed peccantem ita admonebat vt ſumma in eo eluceret humanitas & charitas. O animum rege dignum! Non diem vnum, non ſeptimanam, non annum, ſed multos annos pœnitentiam meam exſpectabat. Sed ego mei ſequebar ductum genij; carnis indulgebam ſuggeſtionibus & illecebris, quæ vitia mea fouentes, ad omnem virtutis

ſen-

ſenſum animum meum ſtupidum fecerant. Nec eſt vt ingenium meum aut naturã incuſem: quam ad malum pronam quidem ſed tamen ad bonum quoque habilem fuiſſe, teſtis mihi ipſe ſum. Mea culpa fuit quod bonum auerſatus, malum ſequutus ſum. Faciebat illa officium ſuum, veritatem mihi repræſentans; ſed illa victa tandem aſsidua peccandi conſuetudine, ſuccubuit. Quid multa? Faber ego ipſe meæ fortunæ fui. *Malitia ſpõtanea*

In eo quod herus domo ſua me eiecit, non poſſum dicere iniuriam mihi factam: at quod nõ multo poſt per internuncios reuocãs, quaſi poſtliminio reditum mihi aperuit, quantæ quamque incredibilis fuit humanitatis? Quid ego? Quaſi rex eſſem, aut ad minimum ſatrapes aliquis, non modo non parebam reuocanti, ſed etiam animo meo neſcio quam vindictam

dictam voluebam. pessimum illud erat, quod vt ante bona, ita nunc mala mea non intelligebam. Vagabar per vrbem quò pedes me portabant, seu vt ille dicit, Ibam quò poteram; quò non poteram, ibi stabam: & quia prosperis meis rebus amicos habueram, non deerant quoque qui me inuitabant, tantisper scilicet, dum in loculis aliquid mihi esse scirent. Atque vtinam argento tantum conuersatio illa mihi constitisset! sed ita est profecto: qui cum malis edit ac bibit, corpus quidem nutrit, sed animum destruit. nūquam buccellæ istæ quamuis delicatissimæ palato meo tam gratæ fuerunt, quam noxia rebus meis consilia & mores, quæ ibi accepi, & quos ibi hausi. Mihi ex omnibus nihil reliquum factum est quam pœnitentia, & quidem nimis sera. Quasi insensibiliter insinuant se in animum vitia; & quam facile

Noxium malorum contubernium.

facile admittuntur, tam difficulter profligantur. Erat mihi domus Cardinalis adhuc aperta, atque ipse Oeconomus, iussu heri nunciabat mihi, vt quotiescumq; vellem, ad cibum sumendum venirem, & si quid aliud mihi necessarium indicarem: ego autem facere id pertinaciter recusabam, malebamque cum malis esurire, quam cum bonis satur fieri, amicorum, vti falso putabam, suasu incitatus, inquientium: Quid tu ista nobilitate, ista ætate, isto ingenio iuuenis aut vir potius, an cuiquam supplicabis? an gratis te ali exprobrari tibi patieris? Ostẽde potius tibi quoque bilem esse: & tuis dotibus ac virtutibus digniorem conditionem exspecta. Hæc quidem ita illi mihi suadebant: sed mox vt nihil mihi reliquum viderunt, non modo desertum me passi sunt, sed etiam meam velut noxij alicuius sideris

vici-

vicinitatem ac consuetudinē fugiebant. nemo iam erat qui inuitaret aut domū deduceret. quinetiam domesticis omnes mandarant, vt si venientem me viderēt, ianuam clauderent, & licet domi essent, domi tamen esse negarent. Mirabilis certe res est Hospitalitas. Qui inuitant, plerumque mel habent in ore, fel in pectore. promittunt liberaliter, dant parce. cū hilaritate inuitant, edunt cum afflictione. qui alterius hospitalitate vtitur, si fastidium sui vitare velit, sedile nec frequenti sessione atterat, nec diuturna nimis calefaciat. Equidem hanc ego velut regulam vbique obseruandam tibi præscribo, vt apud cognatum vnam septimanam, apud fratrem, vnum mensem, apud amicum, vnum annum, apud patrem, quamdiu velis, diuertas ac commoreris. Soli parentes liberalitatis suæ in liberos viscera claudere non possunt.

Hospitalitas eiusque regula.

possunt. Si qui faciunt, pecudes sunt, non homines. Quam liberales autem liberi sint in parentes, nimis verum ostendit prouerbium, quo pater vnus decem filios, decem filij vnum patrem alere non posse dicuntur. In vniuersum de hospitibus illud dictum puta: *Quatriduanus est. fetet.* Quod si vel maxime ipse paterfamilias tuo delectetur consortio, teque commensali gaudeat: abhorrebit aut mater, aut vxor, aut soror, aut alius parasitorum; ac cibum ita tibi benedicent, vt si vota eorum sint efficacia, vltimus ille tibi futurus sit. Mihi quidem si focus sit proprius, domi panem secundarium cum vili obsonio, quam foris assos pauones esitare malim. Sic desertus ab omnibus, vt filius ille prodigus optabam fieri sicut vnus mercenariorũ in domo heri mei. tanto autem maior mea erat calamitas, quod licet sæpe ad frugẽ redire

redire animum induxerim, frustra tamen laborârim. Scilicet qui non vult quando potest; quando non poterit, frustra volet. Pudorem bonum esse fateor: est tamen quidam non inutilis tantum, sed & damnosus.

Nihil sane me magis absterruit, quo minus ad Cardinalem redirem, quam quod & culpam apud herum deprecari, & in contubernalium meorum consortium redire sine rubore non poteram. Sic ego dum charybdim vito, in scyllam incidi. Nec Fortunam, quę nihil est, nec malignum aliquod sidus incusare poteram. Astra, ait ille, inclinant, non cogunt. & *Sapiens dominabitur astris.* Audias quosdã in miseriis ita dicentes: Ah Domine! Hæc quidem voluntas tua est. Sic fieri quidem necesse fuit: & quod futurum est, quidquid fecerim, tandem tamẽ futurum est. Nolo hîc ego altum sapere,

ſapere, aut vltra crepidam iudicium proferre. ſic tamen ſentio, ad peccatum neminem cogi nolentem. Quod male agis malum non foret, ſi tu malus non eſſes. Ego certe melius futurum me puto, ſi meipſum incuſem, nō fatum meum. Malus fui. at multi quoque alij. Crates Thebanus aiebat, neminem inueniri qui lapſus non ſit. Locus nullus eſt in quo omnes aut improbi gignantur, aut probi: Et priuatim, nemo noſtrûm eſt qui non peccat. Recte Horatius:

Nam vitiis nemo ſine naſcitur. optimus ille eſt, Lib. 1. ſat. 3.
Qui minimis vrgetur.

Etiam ij qui propter virtutem in admiratione ſunt, non abſtinuerunt ab omnibus quę vitare debebāt. huic enim hoc, iſtis illud, omnibus autem omnino aliquid accidit, vt vniuerſi agnoſcerent ſe homines eſſe. Peccauimus omnes, alij grauiora, alij leuiora; alij ex Seneca 1. de Clem. c. 6.

destinato, alij forte impulsi, aut alienâ nequitia ablati; alij in bonis consiliis parum fortiter stetimus, & innocentiam inuiti ac renitentes perdidimus. nec delinquimus tantum, sed vsque ad extremum æuum delinquimus. Etiamsi quis bene purgauit animũ vt nihil obturbare eum amplius possit ac fallere; ad innocentiam tamen peccando peruenit. Quotusquisque ex quæsitoribus est, qui non ea ipsa lege teneatur qua quærit? quotusquisque accusator vacat culpa? Et nescio an nemo ad dandam veniam difficilior sit quam qui illam petere sepius meruit. Quamobrem præstaret in nostra nos mala potius quam proximorum intentos esse. Sed fit humani ingenij vitio, vt quæ in aliis eximia sunt pleruṁq; non agnoscamus; at multa à quibus absumus, nobis ipsi vindicemus. Sapiêter vt multa alia, Cicero, quoniam

Max. Imp. or. 6

niam viuitur non cum perfectis hominibus pleneque sapientibus, sed in quibus præclare agitur, si insunt simulacra virtutis, neminem omnino negligendum esse monet, in quo aliqua significatio virtutis appareat. In primis autem Iuuentutis errata ad viuum resecanda non sunt, de qua verissimum illud est de anguilla manu compressa symbolum: *si stringas, erumpit; si laxes, erepit.*

Est naturâ homo vino simillimus Alexis Comicus.
Quodammodo. nam vinum sicuti nouum
Necesse deferuere est: sic prorsus & hominem.
Ac primum quidem velut florescẽtem aliis esse iniurium,
Post durum fieri. hac autem quã dico omnia (exhauserit
Vigere quum desierint, atque ille
Stultitiam amentem qua superne innatat,
Velut potui fit idoneus, at atem nactus bonam, S 2 Ac

Ac in reliquum tempus degit gratus omnibus.

Ipsa nimirum natura sic profundit adolescentiæ cupiditates; quæ si ita erumpunt vt nullius vitam labefactent, nullius domum euertant, faciles & tolerabiles haberi solent, quoniam includi ex toto non patiuntur. Hinc etiam boni pædagogi non omnibus puerorum cupiditatibus aduersantur sed sæpe conniuent. At summa hic cautione opus est, ne nimia sit aut intempestiua illa indulgentia. Nam *Deteriores omnes sumus licentiâ.*

Quem non corrumpit effrana, nouaque

Sat. 5. Syl 2. *Libertas properata toga? ceu nescia falcis*

Sylua comas tollit, fructumque exspirat in vmbras.

Vnde lacteus ille Christianæ eloquentiæ fons: *Arctiore disciplina*

Cap. 19. *minor ætas ad probitatem iustitiamque for-*

formetur: quæ nisi in metu cohibeatur, licentia pariet audaciam, quæ ad omne flagitium & facinus euadet Et præclare magni Imperatoris magnus magister: *Quemadmodum agricultura in expertus regionem quam densis cernit obsitam virgultis plantisque syluestribus incultam, feris refertam, fluminibus ac fontibus variis irriguam, cœnoq; plurimo quaquà versum inuiam, floccipendit, rei vero rusticæ gnarus hæc omnia fertilitatis indicia esse cognoscit, terræq; vbertatem hinc æstimat: ita & absurda, praua ac importuna magnæ aliquando producunt naturæ, quæ nos confestim, quandoquidem asperitatem ac stimulos haud ferre possumus, præcidi penitusq; eradicari oportere arbitramur. at optimus iudex vtile ac generosum ex his discernens, ætatem horamq; rationis & virtutis cooperatricem, quā natura fructum debitum & opportunum ferat, benigne præstolatur.* Apage vero illam Phœdræ Le- *Plutarchus.*

nam, cuius hæc ad Hippolytum verba sunt:

Sene. Hipp.

Quæcumq; lætis tenera luxuriat satis,
Arborq; celso vertice euincit nemus,
Quam non maligna cadit aut resecat manus.
Ingenia melius recta se in laudes ferunt,
Sed nobilem animum vegeta libertas alit.

Apage, inquam, talia monita, quæ ætati alioqui pronæ ad peccandũ fenestras aperiunt. Tanto ego magis postea mihi succensui, quod optima disciplina male vsus essem, & cum Phrygibus sero admodum sapere cœperim. Felices qui mature ad frugem se recipiunt. Nullum ingenium sine vitio nascitur. Tum, *Vix quispiam transit in bonũ nisi ex malo.* Expertus Seneca, *Da mibi*, inquit, *quemcumque magni nominis virum. dicam quid illi ætas sua*

Publ. Syrus.

sua ignouerit, quid in illo sciens dissimulauerit. multos dabo, quibus vitia non nocuerint, quosdam quibus profuerint. Adeo *nulla res consummata est, dum incipit, & in omni alio negotio longe à perfecto absuere principia.* In eamdem sententiã ille non eloquentiæ modo, sed & morum optimus formator Fabius: *Nulla est disciplina, in qua non peccando discatur. Quamobrem de nullo omnino desperandum. nisi qui magna quadã insania de seipsis desperârunt.* Neque tamen, vt idem monet, *differendum est tyrocinium in senectutem.* Quanto minus studium virtutis. Sed ita est. Optimam partem ętatis vitiis perdimus, extremam virtuti & Deo reseruamus. Mihi quidem ita accidit: vt in Catastrophe huius meæ Fabulæ, si vitam DEVS suppeditauerit, audies.

Habes, Lector, Infantiæ, Pueritiæ, & Adolescentiæ meæ historiam, & velut HVMANAE VI-

TAE PROSCENIVM. Secunda parte robustioris ætatis robustiores nequitias in ipsam Scenam cum Deo volente, producam: non vt imiteris, sed vt fugias, & ne decipiare caueas.

(*.*)

FINIS.